



00 Nr.

Samelbd.

Küfri. Ld.

*Tom: IV.*







*Q. D. B. V.*

DISQVISITIO

*DE*

INCLYTO LIBRO POETICO

# *Theuerdancē /*

*QVAM*

*TRAESIDE*

**IO. DAVIDE KOELERO,**

LOGICES ET POLITICES PROF. PVBL.  
ET VNUERSITATIS BIBLIOTHECARIO,

*HOSPITE SVO MAXIMOPERE COLENDΟ,*

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

*H. L. Q. C.*

*SVBMITTIT*

*AVCTOR RESPONSVRS*

*Heinrich Bottlieb Viß /*

VRATISLAVIENSIS,

*AD D. MART. A. O. R. MDCCXIV.*

---

*ALTDORFII,*

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

INCILITO LIBRO POETICO  
HOMINUM  
TRAGISDE  
LOGICIS ET POLITICIS TRIBUS SECVNT  
HISTORIIS ET MELIORIBUS CENSIS  
AETATEM HABENTIA  
ACCEPTE  
ALITER  
NUNQUAM  
FOLIO  
TITULIS  
LIBRIS  
SILENTIIS

IV  
in ADAM OPTIMAE MATRI THORACI  
VIRO  
GENEROSISSIMO MAXIMEQVE  
STRENO  
HENRICO WIL-  
HELMO  
DE FREYENFELS,  
EQVITI SILESIO,  
PEVCAE SVPERIORIS  
DOMINO,  
PATRI INDVLGENTISSIMO,

QVI  
IN VIDVVM OPTIMAE MATRIS THORVM  
OLIM ITA SVCESSIT,  
VT  
NVLLAS SENTIREMVS VICES  
OB  
AMOREM PLANE SINGVLAREM,  
AFFECTVM VERE PATERNVM,  
MERITA MVLTIPLICIA,  
HAS  
STVDIORVM EXERCITIORVMQVE ACADEMICORVM  
PRIMITIAS  
INTER ARDENTISSIMA VOTA:  
PRO PERPETVA IPSIVS INCOLVMITATE  
ATQVE SALVTE OMNIGENA  
SVSCPTA  
PIETATIS ERGO  
D. D. D.  
FILIVS OBSEQUENTISSIMVS  
AVCTOR.

---

---

DISQVISITIO  
DE  
LIBRO POETICO  
Heuerdancf.

---

PROEMIVM.



In Poetarum ope res gestas magnorum Heroum oblivione  
sempiterna deleri, omni aevo hominibus apud omnes Gen-  
tes non frugra fuit perfunsum. Habent enim hoc proprium  
Poetarum carmina, ut fortium Virorum facta in longum  
aevum demittant, gloriaeque fortiter comparatae perpetui-  
tatem mirifice adjuvent, et Posteritati quam strenue com-  
mendent. Omnim optime hoc docet HORATIVS L. IV.

Carm. Od. 9. dum canit :

Vixere fortis ante Agamemnona  
Multi : Sed omnes illacrymabiles  
Urgentur, ignotique longa  
Nocte, carent quia Vate facro.  
Paulum sepulta distat Inertiae  
Celata Virtus. Non ego de meis  
Chartis inornatum filebo  
Tote tuos patiar Labores  
Impune, Lolli, carpere lividas  
Obliviones.

Cui adspicatur PINDARVS Nem. Od.VII. affeversans sirenuos Labores multas  
babere Tenebras, si hymnis careant, praeclarorumque Operum remunerationem  
optimam esse inclusos carminum cantus. Hac de causa existimat quoque Famam  
Ulyssis maiorem factam fuisse, quam ea, que pertulerit, per fvarioloquum Ho-  
merum, quoniam mendacis ejus per figuratum gravitas quedam subdit ac solertia  
decipiat, abducens Leuctrem a veritate per fabulas. Non defuit quidem ultimæ  
antiquitati ingenium ad fortium virorum ingentianaque ab iis perpetratorum fa-  
cinorum memoriam alii etiam modis conservandam, longamque efficiendam, cui  
ambitio, opulentia, potentia, dexteritas, artes omnes suppetias tulere. Novi-  
mus

mus Sesostris obeliscos et pyramides sublimes , magnificum Mausoli sepulcrum , superba Gr̄ecorum tropaea , editam Hadriani molem , artificioissimas Trajani atque Antonini columnas , quae monuminta Heroum nomina et facta contra temporis rerum edacis insultus per innumera secula defendere debuerunt . Verum enim vero , quam caduci fuerint iſi testes , et quot injurias obnoxii , neminem vel leviter in historia versatum latere potest . Paucissima aenea marmoreaque monumenta hodie superfūnt sensa , et tantum non fracta atque disjecta . Plurima etiam interierunt , ut nesciremus et ipſa et eas res , quarum memoriam custodive debebant , niſi Carminum Annaliumque fides utrumque servasset . Firmo ergo potius stat tali sententia OVIDII , L. I. Armor. Eleg. 10.

Scinduntur vesteſ , gemmæ franguntur et aurum  
Carmina quam tribuunt fama perennis erit .

**E**t LVCANVS non sine cauſa exclamat , Pharsal. L. IX. v. 983.

O Sacer , et magnus Vatum labor , omnia Fato  
Eripis & Populis donas mortalibus aevum .

Quam multa neciremus , niſi haec apud plerasque Gentes invainisset consuetudo  
carminibus celebrandi , Posterioris tradendi Heroum nomina , eaque perenniora  
judicata fuissent omnibus monumentis , quae imbris , ventis , falminibus , ignibusque  
et hostili manu oppugnantur , vel ipſa Annorum serie deſtruuntur . Victores eriam in  
Graecorum Ludis , non coronae , aut totius Graeciae applausis , sed inimitabilis  
Pindari Lyra ab obliuione vindicavit . Sed non opus eſt , ut commune hoc o nī  
Gentium iſſitutum accuratius investigemus et ubertus exponamus , cum Ger  
mania etiam noſtra multa egregia exempla ſappedit , Heroum per Poſtarum  
carmina oblivionis erectorum . Inter haec eminet luculentissimus ille Liber verſi  
bus teutonicis conſcriptus , qui vulgo dicitur Theuerdanc⁹ in quo Labores et  
Pericula Maximiliani I. Imperatoris pereleganter commemorantur , quae alias  
ignoraret posteritas , fructuque iſius cognitionis careret , niſi Poetae industria ea  
conſignasset . Quoniam vero iſe liber non omnium manib⁹ teritur , et notitia ,  
quam de eo vulgo tradunt variis Auctores , varia admodum ſit et inconfiſti , et va  
riis contaminata erroribus , conſtituum bac Dissertatione Academica accuratam  
ejus rectionem iſſitutere , verumque ejus Auctorem maniſtare . Multa praeterea  
adjuuentum , quae circa hoc egregium opus notari merentur , et quae forte non omni  
bus cognita atque perfecta ſatis erunt . Faveb⁹ itaque , Benevole Letor , Cona  
trib⁹ noſtri , et qualecumque hanc Diquiſitionem non ad ostendandum eruditio  
nis apparatum , qualem vel per exiguum , vel nullum poſſidemus , ſed ad eruendam  
veritatem a nobis conſcriptam fuiffē , judicab⁹ .

I. Liber ,

liber, qui dicitur **Theuerdancē** / cuius notitiam tibi  
 tradere volumus, Benevole Lector, dictione ger-  
 manica metrica exponit exantlatos Labores et su-  
 perata pericula Maximiliani I. Caesaris Augusti,  
 et insignitus est hoc Titulo: **Die Geuerlicheiten**  
 und eins teils der Geschichten des loblichen streitbaren und  
 hochberümbten Helden und Ritters **Tewrdannchē**. In vul-  
 gus notus est sub simplici nomine **des Theuerdancē** / quod  
 etiam gerit in privilegio, typographo a Maximiliano indulso;  
 quo nomine autem facto Maximilianus in hoc opere insignitur:  
 Vt enim olim Poëtae denominare soliti sunt sua Carmina a Per-  
 sonis illustribus, quorum Fata in iis exposuerunt, et hodie-  
 num etiam fabularum Romanensium Scriptores, Arminios, O-  
 ctavias, Argenides, publicae luci exhibuerunt, ita etiam; ob  
 eandem Rationem hic liber **Theuerdancē** est appellatus. Quid  
 vero sibi hoc nomen velit ratione Etymi, nobis est ideo hic  
 declarandum, quoniam observamus, eius genuinam significatio-  
 nem, quosdam latere. Sciendum itaque, Maximilianum ob hanc  
 causam in hoc Poëmate, nomine **des Theuerdancē** fuisse insi-  
 gnitum, quoniam ab ineunte aetate omnem curam cogitatio-  
 nemque in res arduas contulerit, et ad maxima Facinora per-  
 petranda aspiraverit, quod hisce verbis declarat Clavis  
 Pfintzingiana: **Ist darum Tewrdannchē genannt / daß er**  
**von Jugend auf all sein Gedanken nach theuerlichen Sa-**  
**chen gericht.** Risum igitur movent monstrofa vocabula: **Ca-**  
**raegrates**, aut **Carigratius**, vel **Karigratius**, quae sinistra diligen-  
 tia **VINCENTIVS PLACCIVS** in **Theatr.** Anon. c. XI. p. 478.  
 dum germanicam vocem latine exprimere nititur, confinxit;  
 ex allata enim avthentica interpretatione ipsius Auctoris patet,  
 nimis absolum esse, fingere velle, **Caras** fuisse **Grates**, aut **Ra-**

rius fuisse Gratias actas pro strenue gestis Rebus Imperatori Maximiliano.

II.

Auctore libri Melchior Pfintzing, cuius Vite curialem de-  
stituimus Melchiorem Pfintzingium, qui originem duxit ex  
generosissima Pfintzingiorum Familia, quae non solum in illu-  
stris S. R. I. Libera Republica Norimbergensi intaminatis fulsit  
Honoribus, multosque Consularis et Senatorii ordinis viros,  
de patriae Salute optime meritos, progenuit; sed etiam in Si-  
lesia, Patria dulcissima, inlytum nomen inter Equestris digni-  
tatis viros sibi comparavit initio Seculi XVI. uti hoc confir-  
mant, Viri CLL. IO. SINAPIVS in *Olsnographia*, P. I.  
p. 926. et P. II. p. 505. et Gottfried Deterbeck / in *Silesia  
Numismatica* p. 750. §. 6. & p. 851. quo in loco mentionem  
facit Numismatis in honorem Ludovici Pfintzingii, An. 1560.  
procusi; conf. *novissima Editio des grossen Wappen-Buchs/  
de An. 1699. ubi* P. III. p. 116. insignia Pfintzingiorum in Serie  
Silesiaca inveniuntur. Ex quo Libro MICHAEL JOSEPHVS  
FIBIGER, illustris, dum viveret, Crucigerorum cum rubea  
Stella Magister, in *Silesiographia Henelii renovata*, P. II. c. 8.  
p. 768. Henelianum Familiarum in Silesia nobilium catalogum  
supplevit. De Antiquitate huius Patriciae gentis, ANONY-  
MVS in der *Historischen Nachricht von Nürnberg/ de An.*  
1707. p. 92. attulit quidem nonnulla, quae tamen non satis  
originem eius declarant, siquidem multa illustriora illis adiici  
possent, si Instituto nostro haec conducerent. In eo tamen  
ille a nobis est corrigendus, quod Familia Pfintzingiorum mi-  
nime cum Conrado Pfintzingio, uti ille affirmat, An. 1596.  
interierit. Sed certo nobis constat ex Documentis fide di-  
gnissimis, florentem adhuc Pfintzingiorum Familiam, non in-  
terrupta Serie, Maiores suos ab antiquissimis temporibus dinu-  
merare

merare posse , atque ex communi Stipite cum illo Conrado descendere . Nullum vero illustrius Testimonium decoris Pfintzingiani perhibere possumus , quam si provocamus ad multa illa atque varia Diplomata Caesarea , quibus huius Familiae Splendor est munitus et auctus , inter quae imprimis eximium illud est , quod ea a Carolo V. Caesare Augusto , dd. 25. Octobr. An. 1555. Bruxellis impetravit , quod octo foliis membranaceis constat , et in frontispicio cum pulcherrime delineatis Caesareis insignibus Symboloque Heroico superbit , in quo inter alia Divus Imperator Pfintzingianam Gentem hisce laudi bus effert : Attendentes itaque imprimis Generis ac Stemmatis vestri ab innumeris Annis in hunc usque diem honeste , abs que ulla Nominis nota seu macula , productam Antiquitatem et Nobilitatem , Maiorum quoque vestrorum laudatam vitae , Monrum ac Famae Integritatem , qua in continua Magistratibus , aliisque honestissimis ac amplissimis Muneribus ac Officiis (quae quidem magna sua Gloria , Republicae vero bono , ac Civium suorum Commodo et Satisfactione gesserunt et administrarunt ) nontam in Patria vestra inclita , Civitatis nostrae Imperialis Norimbergensis Republica (in qua inter amplissimos patricios et senatores Ordines honoratum locum , et praecipuam dignitatem semper habuisse et obtinuisse , et frequenter consulari , aliquoties vero etiam quaestoria dignitate , summo apud eos Magistratu , nec non nostrâ et Imperii Sacra Praefecti Urbis , seu Sculpeti , honorissimum Officio et Praecminentia functos fuisse constat ) quam etiam apud alias S. R. I. Ordines , inque ipsorum divisorum Praedecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum et Regum Aulis , ingenti semper cum Laude et Approbatione omnium bonorum versati sunt . Unde a predictis Praedecessoribus nostris tanquam optime meriti aliquoties maximis honoribus , titulis , et gratiis aucti et ornati , et plures ipsorum ob animè Magnitudinem , et praeclara fortiaque tam militaris , quam politicae

disciplinae, edita facinora Milites seu Equites Aurati stricto  
ense creati, Militiaeque et aliarum paeclarissimarum Dignita-  
tum Titulis, Praeeminentiis, Virtutumque Praemiis, nec non  
amplissimis Privilegiis et Praerogatris merito donatis et decoratis  
fuere. Ex hac igitur illustri prosapia prognatus est noster  
Melchior Pfintzingius An. 1481. die Dominica, in Fasces divae  
Catharinae sacra, ingruente vespera, Patre Seyfrido Pfintz-  
ingio, Senatore et Aedili Norimbergensi, et Matre Barbara, na-  
ta Grundherria. Comparatis sibi nobili viro dignis scientiis,  
adiit Aulam Caesaream, ibique in Familiam Caesarei Cancel-  
larii Dn. de Serntein fuit ascitus, cuius commendatione dein-  
ceps Imperatoris Maximiliani Secretarius evasit. In quo mu-  
nere adeo suam operam Imperatori probavit, ut Caesar eum  
etiam post mortem Erasmi Doppleri (\*) Sebaldinae aedis  
Praepositi, An. 1512. Senatus Norimbergensi commendaret,  
ut Praeposituram aedis Sebaldinae ipsi conferret. Episcopus  
quidem Bambergensis Wilhelmo de Limburg, cuius anti-  
quissima Gens nuper intercidit, hoc amplissimum Sacerdotium  
destinaverat, quia vero hac Successione laedebantur Urbis Pri-  
vilegia, Senatus denominavit statim Pfintzingium Doppleri  
Successorem, eoque absente eius Procuratori hoc Munus con-  
tulit. Postea ipse Pfintzingius, Norimbergam venit, et per  
aliquid Tempus ibi alternis vicibus habitavit, restaurato sua  
cura Domicilio Praepositi, quod ex Ligno lapideum fecit, uti  
ex suspensis eius Insignibus in Podio prominente patet. Non  
ita multo post rediit in Aulam Caesaream, ibique non solum

Cac-

(\*) Praestantissimus hic fuit Vir et omnibus Elogiis maior, uti ex Epitaphio  
eius, quod extat in Templo Divi Sebaldi, cognoscimus, et quod ita se  
habet: *Erasmus Dopplerus I.V.D. et Protonotarius Apostolicus, ac Sere-  
nissimi Imperatoris Maximiliani Confiliarius, huius aedis Praepositus be-  
ne meritus, dum Patriae open impudicat fidem, Territis solmni Princi-  
pum conventu vitam cum morte mutavit, Anno Domini M D XI. Cal.  
Maii, vixit Annos L. Tu Lector vale, et pro tanto viro Preces ad  
Deum fundere ne pigate,*

Caesaris negotia strenue procuravit, sed etiam Reipublicae Patriae utilitates laudabiliter promovit. Lateri etiam Caesaris adhaesit in comitiis Colonienibus, et Auctoritate Caesarea munitus cum Ernesto de Welden, nomine Caesaris A. 1513. interfuit Electioni Episcopi Spirensis, Philippi I. de Rosenberg. Expeditis hisce gravissimis Negotiis commigravit denuo Norimbergam, sed rebus sacris procuratis regressus est Vindobonam, et consecutus est non solum Consilarii Caesarei dignitatem, sed etiam Auspicio Caesaris obtinuit Canonicatum Ecclesiae Tridentinae, et S. Stephani Bambergensis, et Praeposituram S. Albani in Civitate Moguntiaca. Cum vero Lumen Evangelii etiam Norimbergae paulatim dissiparet Caliginem Pontificiam, et in sua Praepositura quaedam iussu nobilissimi Senatus immutarentur, sagax Rerum futurarum sponte An. 1531. de Sacerdotio Norimbergensi decepsit, reservato tamen annuo Stipendio pacto. Reliqua tamen sacra Munia non reliquit, sed acquisita etiam interea Praepositura S. Victoris Moguntiae iis persancte est functus, iisque ornatus Moguntiae diem suum obiit An. 1535. die XXIV. Novembr. Sumpultus est in Choro Templi S. Victoris, ubi Memoria eius Epitaphio a Fratre Pfintzingio conservata est, cuius vero copia ad manus nostras non venit. Insupra a nobis allegato Diplomate Caesareo his verbis, eius et Fratris eius honorifica fit mentio: *Et exinde quondam Patruorum vestrorum Udalrici et Melchioris Pfintzing, Fratrum, egregias Animadotes, Virtutumque Ornamenta, Ingenium, Rerum Experientiam et Usum, Eruditionem quoque et Facundiam, quibus haud vulgaribus Naturae et Industriae donis prae ceteris praediti fuerunt, nec non quam plures industriosas, subtileas, nec unquam antea cognitas, ab ipso praesertim Melchiore, magno Reipublicae commido, sua vero et suorum Posteriorum immortaliter Laude, Ingenique demonstratione, excogitatas Inventiones; fidelia item Servitia, quae*

quae olim felicis et colendae memoriae Serenissimo et Potentissimo  
 Principi quondam, Divo Maximiliano, Romanorum Imperatorib⁹  
 Augusto, Avo et Praedecessori nostro observantissimo, dum in vi-  
 vis esset, uterque uti Consiliariis et Familiaris Aulicus, ille  
 Quaeſtūram gerens, hic vero a ſecretis, ſumma Industria, So-  
 lertia, Sagacitate, Studio, Diligentia, et fide, in arduis et va-  
 riis Negotiis, non tantum in politica administratione, magnis  
 utpote Consultationibus et difficultim gravifimisque et honorifici-  
 centiſimi Legationibus; ſed etiam periculofimis quibusque  
 Temporibus et bellis Expeditionibus, promptissimo Animo, in-  
 defeffe, strenue, et intrepide, magna quidem praedicti Serenissimi  
 Avi noſtri Colendissimi Satisfactione, (quam ex eo ſaltim collige-  
 re licet, quod, tanquam gratum et liberalem Principem decuit,  
 ampliſſimis Sacerdotiis et Praelaturis utrumque remunerarit, ta-  
 lique dignitatis loco et fastigio poſuerit, quo Familiae ſuae de-  
 cus non conſervarunt tantum, verum magis magisque extulerunt  
 et auxerunt, poſterisque ſuis haud vulgare de ſe nomen et  
 Virtutis Exemplum reliquerunt) ſemper ad vitae uſque extre-  
 mum Spiritum non ſine labore et impedio illos pragittiffe con-  
 ſtat. Maximilianus Imperator in Literis etiam ad Bilibaldum  
 Birckheimerum die V. Febr. An. 1518. datis, quea extant in  
 operibus Birckheimeri, p. 176. cum vocat Consiliarum ſuum  
 et Praepositum, qui ipſi indicaverit Birckheimerum novum  
 Currum, Curribus Caefareis prioribus longe diſſimilem, inve-  
 niſſe, qua propter ſummo Severitatis ſtudio a Birckheimero  
 petit, ut praeconcepti iſtiusmodi Currus prototypon praedi-  
 cto ſuo consiliario ac Praepoſito indeſinenter transmittat.  
 Quod hic Melchior Pfintzingius gravifimorum Consiliorum  
 Maximiliani particeps fuerit, innotuit praeterea nobis ex Literis  
 Ferdinandi Archiducis, Nepotis Maximiliani, dd. XII. Decembr.  
 An. 1521. quorum Autographum Amicus quidam nobis ex-  
 hibuit, et quea ita ſe habent:

Fer.

Ferdinand/2c.2c. Ehrsamer/und Andächtiger/2c.2c.  
Wir seind berichts wie unser lieber Herr und Aherr Kayser Maximilian/ und hochloblicher Gedächtnuß / die Herrschaft Gmunden / weisent Bischoff Leonharden auf einen Wiederkauff verkauftet/ und nachmahlen der schjigen Cardinal und Erz-Bischoff zu Salzburg ain Revers herausgeben / das gedachte weisent Kayser Maximilian und seine Erben zu derselben Herrschaft Gmunden einen Wiederkauff und Löfung haben / und du um solche Handlung und Revers insonderheit ain wissen tragen solltest. Demnach begehrten wir an dich mit sonderm Fleiß / das du uns bey diesem unsern Bothen bestätigest / was es vor eine Beschaffenheit habe 2c.

Vt huius Epistolae Argumentum intelligatur , sciendum est , Archiepiscopum Salisburgensem Leonhardum a Keutschach comparatis ex Metalli fodinis Ditionis suae maximis Divitiis , magnis Beneficiis Ecclesiam Salisburgensem cumulasse , multa Praedia abalienata et direpta redemisse , similiter et Gemundam , Oppidum Carinthiae ad Liseram situm , solutis Maximiliano triginta millibus Florenorum , alii dicunt Uncialium , in Potestatem Episcopatus redegitte , ibique et Arcem Incendio destructam iterum erexitte , vid. WIGVLEVS HVND , in Metropolit Salisburgensi Tom. I. p. 31. MATTH. MERIAN , in Topograph. Carinth. p. 95. HIER. MEGISERVS , in Chron. Carinth. L. XI. c. 2. p. 1260. et IO. WEICHARD VALVASOR , in Topogr. Car. p. 61. Cum vero Successor Leonhardi , Matthaeus Langius Maximiliani Cancellarius ob studium in Austria , reliundi pactum iniisset , Ferdinandus etiam in Animo haberet , ut hanc insignem ditionem redimeret , Austriaeque denuo adiiceret , sed vel ab Archiepiscopo immutato , vel a Capitulo variae Difficultates moverentur , hac Epistola scripta ex Pfintzingio , huius venditionis a Maximiliano factae gnaro , rescire voluit , qua ratione et quibus conditionibus ea fuerit peracta , quae satis iterum declarant Pfintzingium non nominetenus fuisse Consiliarium Maximiliani , sed maximi menti

menti Negotia, qualia sunt, Alienationes integrarum Ditio-  
num, ex munere dignitatis suae pertractasse. Inter Monu-  
menta, quae eius memoriam custodiunt, prostant quinque Nu-  
mismata argentea, in Honorem eius excusa, quae a Familia  
Pfintzingiana, asservantur. Primum omniumque maximum,  
quod Titulum Disquisitionis exornat, declaratione non indiget.  
Alterum sicutius eius Imaginem, adscriptis verbis: *Effigies  
Melchioris Pfintzing Prepositi Ecclesie S. Albani Moguntiae et  
Sebaldi Norimberge Canonici Tridentini et S. Stephani Bam-  
berge.* Alterum Nummi Latus exhibet Foeminam in priori num-  
mo apparentem, simili Epigraphe. Tertium ostendit eius Effigiem  
nudo capite, additis verbis: *Melchior Pfintzing, Prep. S. Al-  
bani Mog.* In altera facie conspicitur Puerulus Leonis inequi-  
tans, tenens dextra Galeam praepositurae S. Albani, superiore  
parte asini exornatam, sinistra vero manu Galeam Pfintzingianae  
Familiae, cornibus Bubulis in apice conspicuam, adiacet clypeus  
Pfintzingianis Insignibus decoratus, procul stante Asino, dictae  
Praepositurae Tessera, additis verbis: *Vanitas Vanitatum omnia  
vanitas.* Quartum Numisma priori est persimile. Quintum  
una parte exhibet Capita quinque Fratrum Pfintzingiorum,  
cum hoc Lemmate: CONCORDIAE. FRATERNAE. in al-  
tera parte legitur haec Inscriptio: EFFIGIES. SIGISMUNDI.  
MELCHIORIS. PREPOSITI. ECCLESIE. SANCTI. AL-  
BANI. MOGVNTINENSIS. VDALRICI. ABBATIS. SAN-  
CTI. PAVLI. VALLIS. LAVINII. SEYFRIDI. ET. MAR-  
TINI. PFINTZING. FRATRVM. ANNO. MCCCCCXIX. Ex  
quo Nummo patet Melchiorem nostrum ex quinque Fratribus  
natu secundum fuisse; quorum natu maximus Sigismundus  
Senator Norimbergensis, et Possessor Praefecture Bambergen-  
sis Marloffstein fuit: Ulricus, qui in supra allegato Chronico  
Norimbergensi, p. 95. perperam dicitur, Melchior, Quae-  
stor fuit Maximiliani (Pfennigmeister) De Seyfrido nihil  
nobis

nobis constat. Ultimus vero, Martinus, Senator Norimbergensis, bis Norimbergensium et Sociorum Copias adverfus Turcas duxit, et ob virtutem bellicam a Carolo V. Caesare, A. 1532. stricto Ense Eques Auratus est creatus, et in Consiliarium et Familiarem assuntus, uti verba Diplomatis docent. Hic etiam Arcem et vicum Henffensfeld magnis Sumptibus comparavit, et ad Posteritatem suam transmisit. Aeri etiam est insculptus Melchior Pfintzingius habitu Ecclesiastico indutus, et quidem minuscula forma, palmo in Longitudinem inferiori, eo artificio, quod vocant, die schwarze Kunst / addito hoc Titulo : MELCHIOR PFINTZING, KEIIS : CARL v. Königs zu Hisp. Erzb. zu Oesterr. Caplan, Author des Theurdaucks, A. 1517. zu Albani Meynz, v. zu S. Seba : in Nb. Probst. v. zu S. Victor Dechant. D. 1535. Sed hic Titulus nobis minime persuaderet, Pfintzingium etiam sacro Munere in Aula Caroli V. Imperatoris defunctum esse, quoniam omnia Documenta, notitiam vitae Melchioris tradentia, de eiusmodi functione silent. Verosimile potius est, Sculptorem ideo appellasse Melchiorem Caroli V. Capellum, quoniam observavit, Melchiorem se in Dedicatione operis sui ad Carolum V. subscriptisse: Ewer Rürglichen Majestat diemutigister Capplan; quae verba vero potius submissionis Ecclesiasticae Formulam referunt, quae ab omnibus Clericis adhibetur, quam declarant dignitatem quandam sacram ab Imperatore eo fuisse collatam. Minus recte igitur varii Auctores, eadem Dedicatione seducti, Pfintzingium Caroli V. Capellum dixerunt.

## III.

Hunc maxime Reverendum atque illustrem Virum Arguments probantia Pfintzingum hunc effelibriAuctorem, famus rum et genuinum Auctorem Libri Theuerdand dicti esse, ita firmis rationibus persuasi sumus, ut hanc ipsi propriam Glosam, contra omnes eius Obtrectatores, et secus sentientes

C

simus vindicaturi. *Primum Argumentum Assertionis nostrae suppeditat ipse Liber, in cuius Dedicacione hisce verbis, Pfintzingius se Auctorem eius proficitur : Ich hab mir für genommen aus denselben Ursachen Ewer Künigl. Mayt zu Er-gezlichkeit / Nutz und Leer / eines läblichen / teurn / und hochberümbten Helds und Mitters mit Namen Herr Tewr- dannckh / Geschicht / Historie und Getatten (die ich den man- sten thail gesehen ic.) zu beschreiben/ et iterum paucis lineis interiectis dicit: solich Puch allergnädigster Herr/ und mei- ne willige Arbant wollen Ew. R. M. von mir unterhä- nigisten Capplau gnediglichen empfahen.* In subiuncta clave, etiam in usum Caroli V. Regis conscripta, ter vocat mein Puch. Quis ergo sibi poterit imaginari Pfintzingium, virum probum et cordatum, eo impudentiae processisse, ut foetum Ingenii, ab augustissimo Caesare Maximiliano elaboratum, eo adhuc vivente, et Aulicis veri Auctoris non ignaris, pro suo venditare non erubuisse, et quod omnium maximum Carolo V. Nepoti, ut proprium Laborem offerre ausus fuisset, cum ta- men Maximiliani Famam hocce Facto quam atrocissime lae- sisset. *Alterum Probationis Robur suggestit nobis antea allega- tum Diploma Caroli V. quod nobiscum, pro prona sua in iu- vandis bonis Literis et Artibus voluntate, communicavit ce- lebratissimus omnium Eruditorum Maecenas, Vir generis pro- sapia et Meritis in Rempublicam illustris, HIERONYMVS GUILIELMVS EBNERVS, illustris Reipublicae Norimber- gensis Senator consularis, ex Apparatu suo instructissimo ad Librum de illustribus Familii patriciis Norimbergensibus a se conscribendum, cui etiam ubiorem Pfintzingianaee vitae Not- titiam grata mente debemus.* In illo vero Diplomate ita lo- quitur Imperator: *Inter quae etiam et hoc quidem praecipue aestimandum occurrit, quod idem Melchior Pfintzing praefati serenissimi quondam Avi nostræ vitae cursum et praeclara eius Gestæ,*

Gesta, - Heroicas Virtutes, variaq; vitae Discrimina, inter quae  
frequenter versabatur, Corporis item Labores, et fortunae Pro-  
cellas et fluctus, quos rara infraacti Animi magnitudine et He-  
roica Constantia semper et ubiq; sustinuit, elegantissimo germa-  
nico Carmine, mira industria et eloquentia, ac iucunda quadam  
Verborum Suavitate, artificioq; factorum Nominum Inventione,  
in maximum Volumen magno Sudore, et fidelz diligentij vi-  
gilantia congestos nobisq; dedicatos, Posteris memoriae tradidit.  
Tertio, non possumus non etiam tanquam non levidense Ar-  
gumentum hoc referre, quae Imperator Maximilianus ad Se-  
natum Norimbergensem, d. d 22. Ian. 1518. von Dorffen re-  
scriptis: Er begehre mit Fleiß und Ernst / daß sie seinen lie-  
ben Undächtigen Melchior Pfintzing/ Probst zu S. Sebald  
in Nürnberg/ seinen Rath/ denn er befohlen sich zu ihm zu  
erheben/ mit allen Büchern/ und andern/ daß er ihm  
verfertiget und gemacht hat / mit etlichen der Stadt  
Göldnern und Dienern bis Weissenburg solten beglaiten/  
Damit er mit den berührten dero Büchern und Schriften  
sicher fortkommen möge/ &c. Si igitur consideramus Librum  
Theuerdanc<sup>d</sup> cura Pfintzingii Norimbergae An. 1517. atque  
adeo Anno hoc Rescriptum praecedente, fuisse impressum,  
verosimillimum utique est, Imperatorem hanc ob causam Ac-  
cessum Pfintzingii efflagitasse , ut ipsi exhiberet impressa Exem-  
plaria, adeoque ipsi augusta sua Providentia hisce Literis de  
Itineris Securitate cavere voluisse. Quarto, provocamus etiam  
ad alios graves Viros, qui Elaborationem Libri Theuerdanc<sup>d</sup>  
Pfintzingio nostro adscriperunt, quales sunt: CYRIACVS  
SPANGENBERG , Part. II. des Adel-Spiegels / L. XI. c. 48.  
p. 208. Wir haben dergleichen ein schönes Exempel an dem  
trefflich wohrgestellten künstreichen Buch dem Theuerdanc<sup>d</sup>/  
darinnen Kaiser Maximiliani I. Ebentheure und Gefähr-  
lichkeit/ so er ausgestanden/ sehr artlich und meisterlich also  
ver-

verblünter weise beschrieben werden/ darinnen der Meister  
deselben Buchs Melchior Pfintzing / zum theil der alten  
Meister Sänger Brauch gefolget. ET IO. CHRISTOPH.  
OELHAFEN, ICUS, in *Oratione Inaugurali*, n. 1623. habita,  
quae extat in data Publicationis Privilegiorum Doctoralium Uni-  
versitatis Altdorffinae l. it. K. e. scribit: Maximilianus I. hat in  
seiner Jugend / vermöge Melchior Pfintzings / gewesenen  
Probit zu S. Sebald in Nürnberg/ Beschreibung unter dem  
Nahmen des Edlen Ritters Theuerdanks wohl erfahren/  
was Fürwitz/ Unfall/ Reidhart für Schaden thun. Qui-  
bus adiungimus, IO. IAC. FVGGER, im Spiegel der Ehren  
des Erzhauses Oesterreich / L. Vl. c. 20. p. 1377. DAN.  
GEORG. MORHOIVM, im Unterricht von der teutschen  
Sprache und Poete / c. Vll. p. 365. Simon Borromei-  
ster/ im Schauplatz der Römisch. teutschen Rayter / p. 920.  
IO. CVNR. DIETERICHIVM, in *Breviario historico*, P. II.  
p. 97. IO. HALLERVORDIVM, in *Bibliotheca curiosa*, p. 387.  
GEORG. PASCHIVM, in *Libro de variis modis moralia tra-  
dendi*, c. I. §. 29. p. 56. VINCENT. PLACCIVM, in *Theatro  
Anon. et Pseudon.* c. XI. p. 478. Hi omnes uno Ore nobiscum  
consentunt. Celeberrimus IMMAN. WEBERVS, in *Prooe-  
mio Schediasmatis Historici de eruditis Hassiae Principibus*, p. 3.  
hisce verbis corroborat nostram Sententiam: Maximilianus I.  
ita doctus Princeps, ut etiam Libris scribendis Animum appu-  
lerit, cœn asparet, non quidem ex opere de Periculis eius com-  
posito, der Theuerdauf / cuius verum Auctorem Melchiorem  
Pfintzingum, Praepositum S. Albani ad Moguntiam Alloquia ad  
Regem Hispan. Carolum, tam in *Dedicatione*, quam in *Epilogo  
Libri etc. loquuntur.* Et in notula annexa: Sed quicquid sit,  
de Indice (scil. Vindobonensi, cuius statim fiet mentio) files uti-  
tique habenda est Pfintzingio, qui, nisi Auctor, sane ei Nominé  
Librum Carolo V. offerre nunquam fuisse ausurus. Defendit  
etiam

etiam M. ADRIANVS PREVSMANN, Riga Livonus, Respondente, CONRADO BVRCKARDO MIMMINGER, Phorcensis, in Academia Gieffena, d. 27. Iun. 1696. *Miscellanea quae tam Academicæ, in quorum Post. XII. p. 7.* Librum Theuerdanc*e* ex subscriptione Dedicationis Pfintzingio vindicavit, quem Autorem etiam ob hanc causam allegamus, quoniam CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in Sched. de Libris Anon. et Pseudon. P. I. c. 4. §. 10. refert: se in Bibliotheca publica Se-natus Francofurtensis ad Moenum, conspexisse Librum Theuerdanc*e*, cui inferta fuerit Schedula, indicans, habitam fuisse de hoc Libro Disputationem in Academia Gieffensi, dicto Anno sub Praesidio illius Preusmanni. Sed ex Literis JOHANNIS CHRISTIANI LANGII, Professoris Gieffensis celeberrimi, intelleximus, non integrum Dissertationem, sed solum allegatam Positionem Miscellanorum Academicorum a Preusmanno conscriptorum, strictim de Libro Theuerdanc*e* egisse. Hac de causa minime ex Heumanno iudicandum est, nos Cram-bem biscoccatam benevolo Lectori apponere.

## IV.

Qui a nobis dissentient ipsi Maximiliano L. Elaboratio, Arguments  
nem Poëmatis des Theuerdanc*e* attribuunt, clarisque ver- Dissentientium, co-  
bis asserunt, hunc Imperatorem omnia vitae Discrimina, quae rumque Di-  
per totam vitam adierit, Rhythmis germanicis in Historia ma- scibus.

gnanimi Herois des Theuerdanc*e* complexum fuisse. Princeps est, qui hoc affirmat, IO. CVSPINIANVS, in opere de *Cesaribus* p. 486. cuius Testimonium, quia coaevus et familiaris Maximiliani fuit, omnes secus sentientes magnificiunt, quod ita se habet: *Animum debinc adscribentum, sed patria Lingua adiecit, et licet palam, quia male in pueritia institutus. Poeticam aspernaretur, ad Poeticam tamen natus, poetice opus de diversis suis Periculis edidit, cui gentili i qua-*

**D**euwardand indidit , fingens Invidiam et Curiositatem , quasi Personas quasdam comicas , quas ratione et prudentia sua vi- taverit viceritque , ac prostraverit , ut olim Hercules , qui reli- cta voluptate Laborem secutus est per saxa , per Ignes . Cum Cuspiniano consentiunt , insequens Turba Auctorum **M**icha- el Sachse / in der Rayser - Chronick / Part . IV . p . 267 . **T**OBIAS WAGNER , in Institut . Histor . L . VII . c . 8 . § . 13 . p . 537 . **L**AVRENTIVS BEIERLINCK , in Theatro Vitae Hu- manae Tom . VII . L . 19 . p . 19 . **M**ART . ZEILERVS , de Hist . Chro- nolog . et Geographis P . II . p . 209 . **D**IDACVS APOLEPHTES , in der Chronica der Rayser / p . 723 . **I**O . HEINR . BOECLE- RVS , in Libro Memorialz , de Rebus Seculi XVI . p . 276 . **F**RID . HILDEBRAND , in Synopsi Hist . universi . p . 230 . **E**rdmann Uhse in Hist . Imperat . p . 882 . **I**O . DECKHERRVS , de Ade- spotis , p . 247 . Hisce non annumeramus **G**ERH . **I**O . VOS- SIVM , de quo tam ZEILERVS l . c . quam PLACCIVS , l . c . tradunt , quod Maximiliano hoc opus vindicaverit , et Histori- cis Latinis annumeraverit , quoniam ex evoluto L . III . c . 10 . de Hist . Lat . perspeximus , Vossium indeterminate affirmare , Maximilianum non modo res magnas gessisse , sed carum etiam Commentarios scripsisse , adeoque prorsus nullam mentionem facere Libri Theuerdansk . Haust hoc Vossius , uti ipse fate- tur , ex Epistola Dedicatoria a SIMONE SCHARDIO , THEO- DORICI a NIEM Historiae sui Temporis praefixam , in qua etiam simpliciter tantum afferitur a Schardio , Maximilianum Rerum suarum gestarum Commentarios condidisse . Omnes hos allegatos Auctores partim Auctoritas Cuspiniani , partim constans Traditio Maximilianum Imperatorem , veluti alterum Iulium Caesarem , Administrationem sui Imperii Literis con- signasse , pertraxit in hanc sententiam , ut opus Theuerdansk ipsi Maximiliano adiudicarent . Verum enim vero Cuspinianum , vel ex nimio studio in Maximilianum , vel ex occulta Si- multate

multate in Pfintzingium, Gratiae Caesareae Rivalem, Librum  
Theuerdanc Imperatori afferuisse, nobis firmiter persuade-  
mus, siquidem eius privatae Fidei reclamat publica fides Cae-  
sarea, ut ex supra allegato Diplomate constat. Quod ad alterum  
attinet, non negamus, Maximilianum I. animum ad Re-  
rum a se gestarum commentarios prescribendos adiecisse. Re-  
fert enim BILIB. BIRCKHEIMERVS, Vir fide dignissimus, se  
cum Maximiliano aliquando Lindavio Constantiam navgio esse  
vectum, atque Imperatorem, cum otium in navi habuisset,  
ad se vocasse Scribam, illique dictasse res a se gestas unius Anni,  
idque variis Consiliis et Circumstantiis, et cum Birckheimer  
rus secedere voluisset, existimans Secreta quaedam agi, eum  
Imperatorem manere in Camera et auscultare iussisse, ad ve-  
speram deinceps eum interrogasse, ut ei placeret Equestre La-  
tinum? vid. *Paralip. Chronicci*, CONR. VRSPERGENSIS p.436.  
et GERHARD. de ROO, *in Epistola dedicat. Annal. Austr. l. IX.*  
Scriptores itaque, quibus etiam hoc innotuit, cum nullum Hi-  
storiarum a Maximiliano conscriptarum Librum prostat obser-  
varent, et tamen firmiter hac Traditione imbuti essent, au-  
dirent vero Librum Theuerdanc exponere Facinora Maximili-  
iani, plerique uno ore affirmarunt, Librum Theuerdanc esse  
illud opus a Caesare elaboratum. Et certe illis omnibus fa-  
ma tantum innotuit Liber Theuerdanc / qui illum pro eodem  
Labore cum Caesaris commentariis habuerunt, quoniam hu-  
ius Libri Evolutio aliud quid eos docuisset. PETRVS LAM-  
BECKIVS, *in Libro II. Comment. de Biblioth. Caef. c. VIII. p.969.*  
solus est, qui firmissimum contra nos probandi Argumen-  
tum afferre videtur, dum inter Codices MSSTos, ex Archidu-  
cali Arce Ambrasiana in Caesaream Vindebonensem Bibliothe-  
cam translatos, Num. 331. refert Volumen Germani-  
cum chartaceum in fol. quo continentur varia antiqua Mo-  
numenta ad Imperat. Maximiliani I. Vitam et Resgestas perti-  
nentia,

nentia, cui hic Titulus maxime notabilis praefixus: Was in  
diesem Puech geschrieben ist/ das hat Kaiser Maximilian  
im XVhundert und XII. Jahr mir Marren Treitz saurwein  
**S. R. M.** Secretario muntlichen angeben. In hoc Volumi-  
ne Num. 7. inter alia Opuscula occurrit Catalogus Librorum  
ab ipso Imperatore Maximiliano compositorum, qui ita se ha-  
bet: **Bermerkt die Puecher / die Kayser Maximilian selbst**  
**macht. Grab/ Erenporten/ weise Kunig / Teurdanc/** rc.  
de his et sequentibus Libris Lambecius in margine affirmat,  
omnes istos extare nunc etiam in Augustissima Bibliotheca Ca-  
farea, nec ullum eorum hactenus impressum esse, praeter-  
quam eum, qui inscribitur der Teurdanc. Verum enim ve-  
ro ex antecedentibus apparet verba illa: **selbst macht / non**  
**ita stricte esse interpretanda , quasi ipse Imperator nocturna**  
**diurnaque Opera Poema Theuerdanc/ uti prostat, elabora-**  
**set; sed ea solum declarare, Maximilianum agitasse consilium**  
**de consignanda Historia Periculorum suorum sub Nomine a se**  
**excogitato Teurdanc/ huiusque Consilii exequendi partes**  
**deinde suscepisse sciente et volente Imperatore Pfintzingum,**  
**cui adeo in hoc conatu Maximilianus ipse exiterit Monitor,**  
**Adiutor, et Praemonstrator. Aduvat hanc nostram Inter-**  
**pretationem tam CVSPINIANVS, qui affirmat l. c p. 486. Ma-**  
**ximilianum palchrum Opus confinxisse , quod Portam Honoris**  
**appellaverit, a Stabio, viro eruditio, erudite concinnatum , et**  
**Picturis venustatum; quam MARCVS TREITZ SAVRWEIN,**  
**Maximiliani Secretarius, qui hunc Epilogum Operi: des wei-  
sen Kunigs subiunxit; Allerdurchl: rc. xc. Herr Maximilian**  
**rc. xc. nach Ew. R. M. ernstlich Bevelh/ muntlich antzai-  
gen und schriftlich Underricht mir Marren rc. gethan/ hab  
ich diz Puech genant der weise Kunig mit schrift und Ge-  
mäl in Ordnung gebracht/ als viel Ew. R. M. mir darin  
geoffenbart hat / und mir wissend gewest ist rc. Bit  
data auf**

darauf E. R. M. ic. diese mein Arbeit und Bleis genediglichen anzunehmen ic. Quemadmodum enim Maximilianus in perficienda Porta Honoris, Ingenio Stabii, et in componendo Libro des weisen Rümg̃ / industria Treitzaurvvein usus est, ita in concinnando Poemate Theuerdanc a se adumbrato adhibuit operam Pfintzingii.

## V.

A Pfintzingio Auctore Transitum facimus ad ipsum praeclarissimi Libri Argumentum exponendum, quod certe adeo argum-  
tum Libri.  
augustum esse putamus, ut nullum aliud veterum Poetarum facile cum illo sit comparandum. Non enim decantat Pfintzingius Vrbem captam X. Annorum obsidione, sed X. fere Vrbes unius Anni spatio captas suisse refert; neque sicut scopolae Ithacae Regulum sub alterius Auspicio et Ductu ad Ilium militantem, aut extorrem excisa Patria Troianum XIV. Navium Clasti praefectum, aut Herculem duodecim exantatis laboribus famosum: sed exhibit Maximilianum I. Christianorum Imperatorem, VII. Regnorum Regem Heredemque, Archiducem Austriae, et plurimarum Europae Provinciarum Principem potentissimum (\*), stupenda Pericula obeuntem, innumerisque Difficultatibus collectantem. Ex uberrima enim vitae Maximiliani Historia se legit exponenda insignia illa Vitae Discrimina, quae maxime huic Heroi, in juvenili, adultiore, et virili aetate, ex Venationibus, feris Beluis, Equitatione, Saltu, Tempestatibus, Praeliis, Velitationibus, singulis Certaminibus, Aggressionibus, Obsidionibus, Tormentis, Pulvere pyrio, Sclopis, Arcubus, Gladiis, Torneamentis, Morbis,

## D.

## In-

\* Hie invidiösus Titulus legitur in picta Fenestra aedis Sebaldinae Norimbergae, post Altare in Latere orientali, quam ipse Maximilianus sub Praepositura Pfintzingii, An. 1515, fieri fecit. Occurrit ille etiam in Nummo Vnicali in Abb. von Möllen Thaler Cabinet im ersten Fach p. 11. et in citato Epilogo Marci Treitzaurvein, apud LAMBECIVM l. c. p. 968. conf. IO. PETERLVDWIG, in Germania Princeps L. l. c. i. p. 173.

Incendiis , Lapsu, Fluminum Transitu, imminentibus Naufragiis , Veneficiis, etc. obvenerunt, et quae tamen omnia feliciter incolumis evasit. Hac de causa descripsit Maximilianum , ingentes Cervos, furentes Apros, rapaces Vrsos, in vastissimis Sylvis, et aliquando in Latebris Lustrisque suis pro Catulorum Salute acerrime dimicantes, aggredientem, et conscientem; Leones mansuefactos quidem, nunquam tamen ferocem Naturam penitus exuentes, vel Pala terrentem, vel ex eorum Faucibus Linguam extrahentem, Manibus Pedibusque Rupium Culminibus perpetua glacie obsitis, adrepentem, et Rupicapras sectantem, ubi interdum parum abfuerit, quin vel conglobatis Nivibus obrueretur, vel devolutis Saxis contereretur, aut adverso Vento deiceretur, aut Abyssos transfiliendo periret, aut Cupidibus fractis, quibus illi Venatores montani Pedes armare solent, praeceps rueret. Edocuit pariter, quoties Equo, et Scalis, Trabibusque fractis, lapsus sit; quomodo in altissimae Turris summo Margine ita constiterit, ut unius Pedis calcis insitens, planta digitisque illius, et altero Pede integro, admoto eius Calcaneo alterius consistentis digitis, liberum Aërem dimensus sit; quoties sub dentibus Lethi mortem effugerit, in profunda Fossa, latente Puto, obiecto Flumine, fractaque Glacie insidiosa, et quoties Fulmen coelo demissum, Tormentorum bellicorum Ictus, ruptorum Arcuum Sclopetorumque Iethifera Fragmenta, eum perterruerint. Hostium denique aut Insultus vel Bello, vel singulari Certamine depulso, vel Insidias Arte elusas, atque Victorias ab Amicis Ämulisque in Ludis equestribus reportatas, ita exposuit, ut quasi praesentes videres. Strictim vero atque generaliter haec indicasse sufficiat. Singula enim Discrimina cum omnibus Circumstantiis, per singulas Libri Sectiones eundo, narrare, illis incumbit, qui vel Tractatum integrum de huius Libri Argumento conscribere, vel in exponentibus Maximiliani Rebus prolixissimi esse volunt.

¶ 1. Prae-

## VI.

Praetera notandum, Pfintzingium Pericula, quae Maximilianus adiit et superavit, non nude pro Veritate Rerum gestarum, expressisse, sed facto quodam Poeseos ornatu vestita Literis mandasse, quod Institutum ita comparatum est. Ex Fictione eius, A.O.C. 6444. sicut in Germania Occidentali Rex potentissimus Romreich/ non solum foris prospera Fortuna utens, variasque Regiones Bellis acquirens, verum etiam domi felix ob auspiciatissimum Matrimonium cum exoptatissima Coniuge contractum, ex quo ipsi prognata est pulcherrima unicaque Filia, Erenreich/ quae nubilis ob Animi Corporisque Dotes, et vastissimas Provincias hereditario Jure ad ipsam spectantes, a multis Procis petita est. Quam ob causam Consiliarii Regis eum rogarunt, ut vivus Consilium inire vellet de elocanda Filia, ne post Mortem eius quidam Armis Nuptias Filiae extorquerent. Rex, audita iusta Rogatione, Consiliariis suis permisit, ut ipsi pro Prudentia sua e duodecim Principibus, quos Filiae Nuptias ambire novissent, Sponsum eligerent. Cum vero Deliberatione instituta, de hac Re illi inter se non convenient, omne Negotium denuo Regis Arbitrio ab illis est traditum, qui ipsis etiam est pollicitus, se facturum, ut vel ante Mortem ex ipsius Ore, vel post Mortem ex ultimis Tabulis, electum a se Generum cognoscerent. Rex postea Senio gravis, quia non in Lecto, sed, ut memorandū quid moribundus ageret, in Horto Vitam finire voluit, ad illum Hortum contendit, ibique, paulo ante quam Animam exhalavit, Testamento facto Filias designavit Mariam. Regis Morte ad Filiam allata, et Testamento ipsi exhibito, convocavit ea Regni Proceres Ordinesque, illisque praesentibus resignatis Tabulis cognovit, Iuvenem Heroa Theuerdanc/ Patrem ipsi constituisse Maritum. Qua de causa statim allegat fidum Nuntium ad Theuerdanc perquirendum, et ad

C.I.

C.II.

C.III.

C.IV.

C.V.

C.VI.

- C. VII. Nuptias invitandum. Interea Proceres quidam veriti, ne accedente Theuerdanc<sup>f</sup> dignitate sua privarentur, infernalis Spiritus Suggestione, prava Consilia inierunt, de necando Heroe, per varias clandestinas Artes, antequam Limites Regni attingeret, hocque Negotium commiserunt tribus Capitaneis ex globo coniuratorum, qui, occupatis tribus Claustris ab Heroe transeundis, anniterentur, ut per varia obiecta Discrimina, structasque Insidias illum vel a Regno arcerent, vel si ab Itinere non desisteret, e medio tollerent. Dicebantur illi, Fürwittig / Ulafso / und Neydelhart ; qui, in latinum Idioma translatis Nominibus audiunt, PETVLANS,
- C. VIII. INFAVSTVS, et INVIDVS. Theuerdanc<sup>f</sup> / posteaquam ex ablegato Nuntio de Amore Reginae Erenreich certior est factus, eum cum hac Declaratione dimittit, quod Conspicuum Reginae Sponsae prius non subire vellat, quam multis egregiis Factis effecisset, ut ipsi hoc Matrimonium esset peronorificum.
- C. IX. Consensu Patris deinde ad has Nuptias contrahendas exorato, cum Iter instrueret, accessit ad eum malus Genius,
- C. X. Personam Doctoris simulans, eumque pestifera sua Doctrina, tribus Praeceptis comprehensa, quibus omnis Pietatis, Honestatis, et propriae Conservationis Fundamenta subruebantur, imbuere conatur, cui vero fortiter reclamavit, ut ille infecta re evanuerit. Iter deinceps est aggressus cum unico Ministro Ernhold<sup>f</sup> quem Testem et Praeconem Factorum perpetrandorum elegit, atque ad primum Claustrum venit, occupatum a Capitaneo Fürwittig / qui quoad speciem admodum humaniter quidem eum exceptit, attamen detinuit, simulans, se prius debere explorare Reginae voluntatem, de eo admittere evanuerit.
- C. XIII.-XXIII. do. Inter ea vero XI. maximis Periculis eum exposuit, quae C. XXIV. recensentur. Cognita tandem ex Servi Indicio Nequitia Capitanei Fürwittig / Heros eum vehementer increpat,
- C. XXV. qui vero Vitae suae timens aufugit. Theuerdanc<sup>f</sup> perrexit itaque

Itaque ad alterum Castrum Capitaneo Unfalo commissum,  
 qui a profugo *Firwittig* commonitus, pari Astutia Profici-  
 centi Moram iniecit, eumque in XLVIII. Pericula gravissima  
 Terra Marique adduxit. Detectis quoque eius Infidis, metu *C.XVII-LXXI*  
*Poenae Unfalo* se subduxit; *Theuerdanc*e** vero, ad tertiam *LXXIV.*  
*Arcem* pervenit, cui tertius Capitanus *Neydelhart* pre-  
 fuit. Verum neque hic ab Hospite Eques nobilissimus tutus, sed *LXXVI-XCVI.*  
*XXI.* Periculis, iisque plerumque bellicis, dum adversus Re-  
 ginae Hostes pugnaret, subiectus fuit; quare demum et huius *XCVII.*  
*Technis* patefactis nequissimum Hominem terruit, ut fuga sibi *XCVIII.*  
 consideret. Denique recto Tramite ad Reginæ Sedem con-  
 tendit, quae eum perhumaniter exceptit, atque superata Pe-  
 ricula, in quae per Infidias perfidorum Capitanorum in Iti-  
 nere coniectus fuerat, cum maxima Indignatione cognovit.  
*C.*  
 Cum vero tres illi Capitanei aegerimne ferrent, Equitem  
*Theuerdanc*e** / amabilissimis suis Moribus, et incomparabili  
*Praestantia*, Reginæ Favorem sibi conciliaffe, ad ultimum in-  
 stigarunt sex robustissimos Equites Aulicos, ut Principem sub  
 Specie publicae Lactitiae et Oblectationis ad Torneamentum  
 provocarent, eumque in iis ad necem persequerentur. Quo-  
 rum Petitis etiam, Fraude latente, et Regina, et Heros,  
 annuit. Cum omnibus itaque, partim equestris, partim pede-  
 stri Decurione, partim Italico, partim Germanico more, par-  
 tim Hastis acuminatis, partim Gladiis feliciter certavit, iis-  
 que victis a Regina Lauream Coronam accepit. Postea *Ern-*  
*hold* tres illos pravos Capitaneos omnium Criminum, quae in  
*Heroem* commiserant, accusavit apud Reginam, quae Dis-  
 quisitionem Reatum Praetori Aulico commisit, a quo etiam  
 quaestione habita, *Firwittig* Gladii, *Unfalo* Laquei, *Ney-*  
*delhard* Praecipitationis Supplicio est adiudicatus, quod etiam  
 de iis est sumtum. Ad Ultimum Regina Equitem *Thur-* *CX.-CXX.*  
*Thanc*e** per Fecialem exhortatur, ut e medio sublati Inimicis  
*D 3* dome-

domesticis, Expeditionem adversus Hostes Christiani Nominis susciperet, quam etiam ille, a coelesti Genio admonitus, et saluberrimis Praeceptis instructus, non recusavit. Antequam vero discederet, et Bellum adversus Infideles iniret, solemni Stipulatione sibi de futuro Matrimonio cum Regina ineundo cavit. Subiungitur Epilogus, in quo, tam allatis Rationibus, quam Exemplo incliti Herois *Theuerdanch* refellitur antiquum Dictum: Omnia Animalia Armis suis a Natura esse instructa, solum Hominem inermem procreari; et comprobatur, Rationem Hominis omnibus Brutorum Armis praeflantiorem valentioresque esse. Haec est B. L. Sciagraphia poëticae Constructionis Libri *Theuerdanch* tam ingeniose a Pfintzingio adornati.

## VII.

Veritas Historica Libri Ne quis vero in animum inducat, tantum Pfintzingium de-  
disse Fictioñ poëticae, ut Discrimina a Maximiliano superata  
nimium extollendo laeserit, aut penitus aliena Figmenta im-  
miserit, aut levissima aut communia quaque arripiendo, Nu-  
merum illorum, vel Molem Libri auxerit, monendum est, ex  
ipso Libro constare, quod parcus porcius Vates noster Pericula  
Maximiliani enumeraverit, et saepe una duntaxat Sectione car-  
minica, omnia Pericula Incendiorum, Explosionum, Praelio-  
rum, etc. complexus fuerit, vid. *Sect. 57. 73. 76. 81.* Ut etiam  
eo clarius Lectori Instituti sui Ratio innotesceret, uberrimam  
Operi suo subjunxit Declarationem, quam vulgo *Clavem* appelle-  
rant, in qua partim Fictioñ suas poeticas indicavit, partim Ve-  
ritatem historicam fictione involutam ipse evolvit, ut Carolus  
Rex Hisp. cui illam separatim inscripsit, de Veritate comme-  
morationis eo certior esset. Quod ad praecipuarum Fictio-  
num Explanatioñes itaque attinet, afferit ibi per Regem *Nom-  
reich*/designari Carolum, ultimum Burgundiae Ducem; per Re-  
ginam *Ernreich*/ ejus Filiam Mariam; per *Tewrdanch*/Ma-  
ximi-

ximilianum Imperatorem; per individuum eius in itinere co-  
mitem, Ernhold/Famam, quae Vitam et Facta ex veritate con-  
firmavit et divulgavit. Sunt quidem, qui opinantur Auto-  
rem se ipsum, sub Persona des Ernholds induxisse, verum re-  
pugnat eorum conjecturae ipsa Interpretatio Autoris. Per  
tres Capitaneos malevolos repraesentavit tres humanæ vitaæ  
aetates, iuvenilem, adultiorem, et virilem, in quibus varie Ma-  
ximilianus periclitatus fuit. Iuvenilem Kürwittig dixit,  
weil durch ihn verstanden wird / in was Geserlichkeit Jne  
seine frye Juuent/ auch Fürwig on Bedacht allerley zu ver-  
suchen gefürt hat. Adultiorem nomine Unfalo insignivit,  
weil darunter begriffen werden all Tevrlach und geserlich  
Sachen in Schimpff und Ernst/ so der Tevrdannich Er zu  
erlangen in bestendigem Alter getan hat / bey denen Jme  
Unfal unverschner Ding zugestanden sein / den er durch  
schidlichkeit und sein beherzenheit entgangen ist. Virilem  
vocavit Neydelhart / und bedeut die sorgfeliakait und geser-  
lichkeit und sein beherzenheit entgangen ist. Virilem  
in Kriegesleussen/ und sonst begegnet/ denen Er aber allen / on  
Schaden/ mit hilff Gottes/ und durch sein unerschrocken fraydig  
Smitt/ und Ritterliche handt glücklichen entgangen und ent-  
runnen ist. Quo loco, et interdum quibus circumstantiis ipsa Pe-  
ricula acciderint, quorundam  $\alpha\gamma\pi\tau\eta\eta$  distincte secundum Se-  
ctiones manifestar, in posterioribus aliquoties provocans ad Li-  
brum Blanck Rüning/ per quem, procul dubio Librum supra alle-  
gatum a Marco Treytsaurvein ex Schedis Maximiliani, sub Ti-  
tulo: Des wehsen Rüning's conscriptum intellectus. Post Auto-  
rem Veritatem historicam ex Libro Theuerdancis eruere annis us  
est SEBAST. FRANCK in Chronico Germaniae fol. 281 qui eum cum  
cura perlegit, atque quoad vere perpetrata a Maximiliano Fa-  
cinora in compendium feliciter rededit. Injuriam vero facit  
tam SEBAST. FRANCK/ quam VINC. PLACCIO CHRISTOPH.

AV:

AVGVST. HEVMANNVS, dum in *Loco supra cit. p. 105.* scribit: Placcium, dum meminerit, in *Seb. Franckii Chronico* reperiri Clavem Libri *Theuerdancē* / obscure nimis loqui, quiz sibi Chronicon illud, Belgica Lingua scriptum, et A. 1558. in fol. editum prae manu sit, ubi P. II. fol. 63. exhibeat Excerptum ex Libro *Theuerdancē* / in quo breviter enarrantur XVIII Victoriae, a Maximiliano partae, Auctore tamen istius Libri non indicari; siquidem Franckium in eo laedit, dum afferit; Illum tantum recensuisse XVIII. Victoriae a Maximiliano repertas, cum ille tamen LXVII. Pericula secundum ordinem a Pfintzingio in Libro *Theuerdancē* observatum, a fol. 281, usque ad fol. 288. enumeret, uti cognovimus ex Editione huius Chronicī Germanica de An. 1538. quam ille consulere debuisset, non vero Belgicam: siquidem *Seb. Franck* / Werda-Noricus, Germanice, non Belgico scripsit, si voluisset refutare Placcium. Hujus vero clarissimi Viri vērba, quæ obscuritatis insimulavit, plane non intellexit, sed illis plane alium sensū affinxit; siquidem mens Placcii non fuit, quasi a Franckio manifestaretur Auctor Libri *Theuerdancē*; sed dum afferuit, in Franckii Chronico clavem huius Libri extare, monere solum voluit, Franckium inseruisse suo Chronicō Explicationem historicam Periculorum Maximiliani in Libro *Theuerdancē* descriptorum, & ita etiam se res habet. Præter Pfintzingium et Franckium historicam veritatem Libri *Theuerdancē* condocere allaboravit Matthaeus Schultes, Civis et Sculptor Ulmensis, qui in Editione sua, infra adducenda, singulis Figuris Historiam Rei gestae subjecit. Harum igitur trium Clavium in Librum *Theuerdancē* / Pfintzingiana nobis videtur fide dignissima, Franckiana ube-rior, Schultesiana commodior. Burcardus Waldis in Titulis Sectionum Operis *Theuerdancē* / interdum etiam Loca, ubi pericula acciderunt, brevissime indicavit, de cuius Editione etiam infra sermo erit. Schultesius tamen eam ob causam ta-xandus

xandus est, quod Sectioni XXmæ Libri Theuerdanc subiunxit, commemorationem celebratissimæ illius Fabulae de periculisissima illa Venatione, in qua Maximilianus in primo Flore juventae in Pariete St. Martini, prope Cirellum, Pagum Tyrolensem, Rupicapras nimia audacia adeo usque insectatus sit, ut nec ulterius progrederetur, nec referre pedem potuerit, nisi in praecipitum; in quo anxiostatu, cum sine ulla salutis spe, inedia languidus & omni humana ope destitutus, per tres fere noctes atque dies integros haesisset, ac ostendo inter Aulicorum subditorumque lamentationes et ploratus e viciniori loco Dominici Corporis Sacramento corroboratus fuisse, tandem a coelesti quodam Genio sub specie Iuvenis Rustici ignoti ad suos Ministros reductus fuerit. Nam Pfintzingius in dicta Sectione aliud Periculum Venatorum Maximiliani exponit, quod propter viles timidasque Damas Maximilianus subiicit. Nempe dum ille non procul Oeniponte, accito in spectaculum Gynæco, virtutis ostendae causa, conto missa Damam de Rupe deiecit, ipse Saxo innitens vivo, dum in vicinum Cespiteum Pedem alterum promovere voluit, alterius Pedis Vnci hexagoni, calceis subnexi, impares Ponderi, Loco cesserunt, atque adeo ille unius Vnci, et quidem incurvati, firmitudine a Praecipitio servatus fuit, quoad Minister Contum alterum subministravit. Cum etiam Pfintzingius alibi ne Verbulo quidem mentionem faciat istius Periodi, quod praeter Schultesium alii etiam Auctores commemorant, uti STEPHANVS VINANDVS PIGHIUS, in Hercule Prodigio, p. 167. GEORG. SABINVS, in Hodopeironico Itin. Ital. p. 32. NICOLAVS VERNVLAEVIS, de Virtutibus Aug. Gentis Austr. L. I. c. 3. CASTRITIVS, in Libro, de Germanorum Princip. Dictis et Factis, fol. 316. RIVANDER, in der Fest. Chronica / P. II. fol. 29. Sigism. Bircken/ im Huggerischen Spiegel der Ehren des Erzhauses Öster- reich/ L. VI. c. 20. p. 1379. et MATTH. MERIAN, in Topogr. Tirol.

Tirol. p. 155. (qui expressis verbis dicit : Diese History hat  
R. Maximilian selbst in seinem Buch / der Theurdank in-  
scribit, beschrieben.) Conf. LAMBECIUS, l. c. p. 722. non  
possimus non illam anilibus, et a Vulgi rumusculis ortis Fa-  
bulis annumerare. Quare enim silentio tam in ipso Poëma-  
te, quam in addita Clave praeterisset Pfintzingius omnium  
maximum Periculum, quod unquam subiit Maximilianus, cum  
eius propositum fuerit omnia pericula illius enarrare , et ille  
in longe levioribus recensendis tam industrius fuerit , et qui-  
dem tale , quod ille utpote Theologus , et Religionis Ponti-  
ficiae Praejudicis imbutus, ob Apparitionem coelestis Genii,  
et Communionis Spiritualis Efficaciam, salva Conscientia re-  
ticere non potuisse ? Nobis itaque est persuasissimum , ac-  
cedente etiam Silentio Ioh. Cuspiniani , solertiissimi Vitae Ma-  
ximiliani Scriptoris , Periculum, quod in Pariete St. Martini  
Maximilianus in Rupicaprarum Venatione subiit, non ita com-  
paratum fuisse, prouti allegati Auctores , et vulgo alii tradunt,  
sed ita se habuisse, prouti Pfintzingius retulit. Pfintzingium  
vero in clave his verbis: Übernahmen ein gesetzlicheit so den  
Edlen Tewrdank am Gemsen Jand bey Jinsprug begeg-  
net ist. n. ic / digitum intendere ad Parietatem St Martini, ex  
eo colligimus , quia abruptissima et in Coelum erecta haec  
Rupes ob Formam , quam habet ingentis Muri solidi , Paries  
dicta , sita est in sinistra Oeni Fluminis Ripa trium circiter Ho-  
rarum Itinere , supra Oenipontem inter Ecclesiam quandam S.  
Martino dedicatam, et Pagum Cirellum (Cirle.) Consentunt  
et caeterae Circumstantiae primariae Pfintzingiana verae  
et vulgaris fabulosae Narrationis , si invicem attenta Mente  
comparantur. Ad Rei Memoriam Maximilianum, uti ferunt,  
Semitam subiectam Lapidarum Labore muniri curasse , fal-  
sum est; propterea quod illa Lapidibus strata Via , cui Paries  
S. Martini imminet, est vetus Romanorum Via militaris , ex  
Italia

Italia per Alpes Augustam Vindel. ducta, uti hoc cognoscitur ex Titulo Columnae milliariae, iuxta Viam postiae, vid. PIGHIVS, l.c.p. 168. MARCVS VELSERVS, *in antiqu. Monum. Augustan. p. 150. et 260.* IANVS GRVTERVS, *in Syntagma veter. Inscript. p. 157.* LAMBECIVS l.c.p. 716. Statuam vero Christi crucifixi colosseam, una cum B. Mariae et S. Ioannis a dextro et sinistro latere adstantium Imaginibus, in Rupis illius Loco quodam in quadrum exciso erectam, et ad hunc usque diem ibi conspicuam, in Memoriam non vulgaris Fabulae, sed a Pfintzingio commemorati Periculi extare, claris Verbis confirmat, LAVR. BEYERLINCK, l.c.p. 10. Ad explodendum etiam communem Fabulam faciunt Verba Seb. Franckii in Epitome citata, fol. 281. Zum achten entgieng im zu Iszbruck auf einen Gembsen Gejad / auf einer hohen plat- ten schafft und alle Zinken an sein fuzfeisen / daß man sich sein verwegt / und im das Sacrament zeygt / noch halff im Gott durch sein freudig Gemit / und Geschicklichent herab. Sed ut ad Claves Operis Theuerdanc/ e diverticulo redeamus, nulli dubitamus, quin tamen copiosior adhuc Declaratio historica Operis Theuerdanc ab eo institui possit, qui illud paulo attentiore cura perlegere, et imprimis cum Historia Turbarum Belgicarum, et Bellorum a Maximiliano gestorum, aliisque huius Imperatoris Vitam illustrantibus monumentis conferre velit, quod luculentis Exemplis comprobaremus, nisi iam praeter Opinionem crevisset Disquisitionis huius Materia.

## VIII.

Argumento Libri seposito, aut potius satis tam secundum Quae sit Veritatem historicam, quam Fictionem poëticam exposito, ad ratione car- eius Orationem ligatam, Numeris suis et Mensura certa con- flantem, perlustrandam progedimur. Invenimus autem illam

non incultam, aut inamoeriam, et horridam, sed pro illorum Temporum ratione satis lepidam atque iucundam. Integrum Poëma distinguitur in CXVIII. Sectiones Carminum, quae brevioribus absolvuntur Versiculis, quorum bini semper rhythmo coniunguntur. Nunc Lambici Versus occurunt, iisque frequentissime, ut plurimum Quaternarii, aliquando Ternarii, nunc Trochaici aliquot intercalantur. Rhythmi ipsi absque discrimine pro Iubitu Vatis nati sunt, aut masculini, aut foemini, vel ut rectius forte dicere, nunc cum syllaba remanente, nunc absque ea. Dimensio Pedum satis est accurata, et licet illa passim vacillare videatur, a perito tamen Poësos Lectore, observatis Elisionibus illis Temporibus usitatis, facile ad firmatatem suam revocari potest. Gravé pariter atque secundum de hac re fert Testimonium, illustris quondam Patrii Pindi Apollo, Christian Hoffmann ab Hoffmannswaldau / venerandus, dum viveret, Senatus Vratislavensis Praeses, qui in Poëmatum suorum Praefatione fatetur, se in prima Adolescentia ex hoc Libro syllabas dinumerare didicisse. Benigno certe Silesiorum, forte et Germanorum, nisi ex quorundam Opinione Germania Sudetibus terminatur, Fato, quod Pfintzingio nostro potissimum Duce, tantus Heros aut Germanicae, aut saltim Silesiacae Poësos, Sacris, plaudentibus Musis, initiatus sit. Dictio caeterum Pfintzingii non tenera est et arguta, sed maleua, et pro illorum Temporum ratione grandiloqua, ut ex integro Poëmate eximium quid atque Heroicum elueat. Omnino mirum est, in tanta praestantia atque copia Poëtarum neminem esse inventum, qui Epos aliquod, quod cum Homeri Iliade et Virgilii Aeneide comparati queat, procuderit, cum in reliquis Carminum Generibus Veteres assecuti simus, et forte aliquando superaverimus. In Tragoediis enim, quae quam proxime ad Epicum Carmen accedunt, tantum a summis Viris, ANDREA GRYPHIO et CASPARI LOHENSTEINIO prae-

stitutum

stum est, ut Veteres, si ab Inferis redirent, haberent, cui inviderent. Nec cause huius Rei et Difficultates, quae allegari solent, tantae sunt, ut eas Vir, cui Mens ignea est et dicendi facultas, non superare possit. Laederemus ipsam Pfintzingii nostri Modestiam, si profliteremur, eum id egisse, quod omnia reliqua Parnassi sidera agere detrectarunt. Interea quaeri potest, annon Maximiliani nostri Pericula idoneum Epici Carminis sint Argumentum? et annon Pfintzingius ad eiusmodi Carmen elaborandum imperfectas quasdam Lineas duxerit? Requiritur communiter ad Poëmatis Epici Naturam, *Actio, Fabula, Mores, Sententia, Didio*, quae in hoc etiam Argumento ab ingenioso Vate facile reperiri possunt. *Actio*, seu id, quod Historicum est, debet esse una, illustris, completa, certae Magnitudinis, quae omnia non incommodo hoc quadrant. Sistitur hic unus Heros, uno et continuo spatio Temporis agens, ita, ut illa in alias Actiones integras et completas dividi non possit. Illustrum esse, quis non videt, de Principe Orbis Christiani supremo, et in gravi splendidaque Materia: Completa eadem dici potest, cum omnia adsint, quae adesse debeant, ita, ut ordiatur a Connubio illustris Feminae petito, ad quod Heros per varia Pericula ita tendit, ut tandem Votis potitur. Duratio longior esse videtur, utpote quae plurimos Annos et totam Maximiliani Vitam complectitur, si ad Rei veritatem respicere velis. At enimvero, si *Fabulam* hic in subsidium voces, uno Anno facile absolvvi potest, cum vix conveniens sit, Procum ad illustrissimae atque opulentissimae Faeminae Nuptias festinarem, in Itinere, licet maxime periculo, longius Tempus conterere. Haec certe, prout illa excogitata est a Pfintzingio, non abludit a scopo, continetque variorum Casuum Seriem, qui ex diversis causis objiciuntur, et nunc Robore Corporis, nunc Praefentia Animi, et imperterrita Constantia superantur, immo, cum iam se in Por-

tu navigare putaret Heros, opponuntur, omnes tamen ita removentur, ut tandem Actionis Flexus in Felicitatem definat. Possunt hic quoque inseri *Actiones quaedam ascitiae*, quae ab Ingenio Poëtae dependent, et *Episodia* vocantur; solebant hic antiqui Poëtae non raro Deos Deasque in medium producere, quos fere Pfintzingius iam imitatus est; dum post initium Operis Infernalem Spiritum e Tartaro Heroi occurrere facit; circa Finem bonum Genium Heroi affuisse, et eundem de Rebus suis monuisse fingit. *Mores* varios, v. c. altos Regis Romreich Spiritus, Sponsae casta Desideria, trium Capitanorum Indolem, et in Heroe imprimis Amorem, Magnanimitatem, imperterritum Animum, aliaque talia exprimi posse, huius Rei perito facile apparebit. *Sententia* quoque Rem ornare, et omnia magnifica *Dictione* exponere, eidem primum fuit. Certum itaque est, non solum aliquid simile Heroico Carmini Pfintzingium tentasse; verum etiam Pericula Maximiliani dignam praebere Epico Carmini Materiam, si quis a Pfintzingio iactis Fundamentis superstruere, vel omissa eius Inventione novum condere Epos velit. Hoc nostrum Assertum magis forte illustrare possemus, si nobis ad manus esset Volumen MStum chartaceum, cuius LAMBECIVS L. c. p. 986. meminit, in quo continetur Historia variorum periculorum Imperatoris Maximiliani I. ex Germanico Poëmate Teuerdantf a RICHARDO SBRVLIO, *Foro Juliano*, in Latinam Linguam translata eleganti Carmine Heroico, ut iudicat celeberrimus Vir. Principium eius, ut ex ungue Leonem agnoscas, B. L. ita se habet:

*Magnanimum canimus, rutilans quem tollit Olympos  
Gloria, Phoebeis redimitum Tempora Lauris,  
Vndique promeritum surgentem in Pondera Palmam.  
Quid non ille tulit?*

IX. Etsi

## IX.

Etsi vero Pfintzingius noster Regulas illas Poëmatis Heroicis, quae Antiqui accurate admodum observarunt, Recentiores autem ex eorum Scriptis superstibus eruerunt et imitati sunt, neglexerit, aut potius, nondum ita exculto seculo, ignoraverit, Conatus tamen suos in elaborando Libro Theuerdanc*o* ad Normam et Constitutionem Veterum Germanicorum Poëmatum epicorum penitus direxit, uti hoc fatetur tam in Dedicatione, quam in clave Libri. In quo imitandi Studio laudabiliter egit, quod potius patria sectatus fuerit de cora, quam stolida Affectatione premere Vestigia Poëtarum alterius Linguae, quorum Flosculos et fucos heroica Simplicitas vernaculae nostrae interdum penitus respuit. Poëmata vero illa Epica, die Helden-Bücher dicta, omnino pri-  
mam suam Originem debent primis a Gente nostra condita Temporibus, ita tamen, ut priscis seculis, cum Germani nostri, Tacito teste, Literas ignorarent, non Libri, sed Cantilenae heroicæ in usu fuerint. Cecinerunt enim Tuisconem & Mannum, Condatores Gentis. Post Taciti etiam Aevum hic Mos non exspiravit, sed in sequentibus quoque Temporibus Heroes, qui pro patria in Bello occubuerunt, aut alia ratione Libertatem Civium tutati sunt, a suis decantati fuerunt. Collegit eiusmodi Carmina Carolus M. et, cum Litterae tunc Temporis in Germania aut primum ductæ sint, aut frequentatae, exscribere curavit, Bono illorum temporum non leví, nostræ Ætatis nullo, cum Seculorum Tractus, qui inter magnum Imperatorem et nos intercedit, haec quoque nobis rapuerit. Latent tamen hinc arque inde recentiores heroicarum eiusmodi Collectiones MSSiae, quales duas, easque egregias, benevole nobiscum communicavit, Amor et Delicium Mufarum, D. GODOFREDVS THOMASIVS, Archiate Norimbergensis celeberrimus, quarum præstantissimam possedit olim

Norma Li-  
bri fuerunt  
die Helden-  
Bücher.

olim Balthasar, Dux Mecklenburgicus, et Episcopus Suerinensis et Hildesheimensis, Ducis Henrici Pinguis, qui A. 1477. mortuus est, Filius. Ingens quoque harum Cantilenarum Farrago publicis Typis, sub Titulo *des Helden-Buchs*, exscripta est, in quo celebratissimo Libro, Otnitis, Hug-Dieterici, et Wolff-Dieterici, Gibichi Vangionis, Theodorici Veronensis, et Laurini Wormatiensis, Amores et Res gestae IV. Distinctionibus maioribus, idiomate teutonico Seculi XII. vel XIII. Hominibus usitato, rhythmicè describuntur. Antiquissima huius Libri Editio prodiit ante duo Secula in fol. absque Anno et Loco editionis. Altera Lucem vidit, 1545. f. Francof. et priores ob immutatas antiquas loquendi Formulas non refert. Collector huius Operis incertus. In ipso vero Operे occurunt Nomina Wolframi de Eschenbach, et Henrici ab Osterdingen, Vatum Germanicorum sat celebrium. Aliam Collectionem heroicarum Cantionum a priori prorsus diversam, vulgo tamen ignoratam ex Bibliotheca sua instructissima nobis obtulit Excellentissimus D. GODOFREDVS THOMASIVS A. 1477 in f. absque Loci mentione excusam, in qua etiam Wolframi ab Eschenbach nomen legimus. Recentiorum horum Poëtarum Germanicorum mos fuit vera Nomina Heroum, quorum Res gestas cecinere, suppressore et ficta substituere, quem morem etiam accuratissime observavit Pfintzingius, Rationes huius Occultationis assert, SEB. FRANCK, l. c. fol. 287. zum ersten gepere es neyd und Krieg / solt man den Adel / Person / und statt nennen / die der held desselben Buchs hat Kriegt / tödt / gesfürmt / ic zum andern wird mans den helden um ein Hoffarth ziehen / so er sich selbs / oder ein ander von im / disser thaten rhume. Pfintzingius in Clave has adhuc addit: dieweil derselben Verwandten im Leben sein / damit nit geacht werd / es beschrehe diese Beschreibung so viel Erlicher Gethanen aus Liebkosenden Gemäet ; dann  
be-

bedünke es ihm das den gemeinen Man nit not sey den  
Grund zu versteen. Licet vero ob factas quasdam Circum-  
stantias , in quibus Poetae isti, in adumbrandis Germanicorum  
Heroum Facinoribus, Ingenio suo liberiori impetu indulserunt,  
Cantilenae istae heroicae multis Viris eruditis sint de Fabulis  
Mendacisque suspectae , nolle tamem ipisis omnem Verita-  
tem derogare , sed potius credere , quod multae historicae Ve-  
ritates variis Commentis, iisque interdum maxime absurdis,  
convestitae, in iis delitescant. Imitandum itaque esse censeo  
Exemplum laudati, SEB. FRANCK qui l. c. f. 237. ita scribit.  
Weil es ein Heldenbuch ist / so hat es auch sein Poeterey:  
darein die History als ein Heylthumb in ein Monstranz  
gefasst ist / ich hab auch mit Unterlassung der Schal/Mon-  
stranz/ und Poeterey/nach dem Kern/ Heylthumb/ und Hi-  
story griffen. Conf. von Helden-Büchern / CYRIAC.  
Spangenberg / im Adel-Spiegel / P. II. Lib. XI. c. 48. et,  
in der Sächs. Chronic c. 19. DAN. GEORG. MORHOF, im  
Unterricht von der teutschen Sprache / c. VII. p. 332. VINC.  
PLACCIVS, in Theat. Anon. C. XI. p. 480.

## X.

Prout autem Pfintzingius recte omnino et laudabiliter  
in id incubuit, ut ipsius Epos ad Librorum heroicorum Indo-tio Libri a  
Waldifio  
Interpolatio  
lem quam proxime accederet, ita alii minus recte fecerunt, et alio ob-  
ut post Auctoris Mortem eidem Fato , quod Libris heroicis scuro Viso,  
accidisse Morhofius dolet, Librum Theuerdanci subiicerent.  
Inventus enim est Burcardus quidam Waldis, de quo forte ni-  
hil penitus nobis constaret, nisi se praeposterea quadam Dili-  
gentia Posteritati commendasset, qui ab Amicis quibusdam , si  
vera est Fabula, ipso non prudentioribus , incitatus, Librum  
Theuerdanci ante XXIV. Annos, uti scribit, Augustae Vin-  
del. editum relegit, emendavit, et urgente Necessitate , ut

F

ipse

ipse loquitur, Libro huic aliquot millia Versuum addidit, plures etiam a Pfintzingio elaboratos mutavit correxitque; uti ipse hoc exponit in Dedicatione, et Ausus suos defendit. In consulte tamen maxime egisse Waldisium et Reprehensione potius, quam aliqua Laude dignum esse, cuilibet, qui accuratius rem considerat, videbitur. Quo enim Titulo acquisivit sibi Ius, alterius opus, summa solertia ad Genium Seculi sui elaboratum, et magno Regi dedicatum, pro lubitu dilacerandi et dilatandi? Sive enim Pannum Purpurae assuerit, quod mihi videtur, sive elegantiores Foetum Pfintzingii reddiderit, nulla tamen ratione video, qua aliena tam audacter obrudi possent. Putat quidem hac in re sibi praeivisse magnos Viros; verum forte iidem similes fuerunt Nasutulis illis, qui Librum heroicum pessime adeo habuerunt, et penitus mutarunt correxeruntque, non minus ac ipse Waldisius improbandi. Ipse dicit, quanquam antiqui Rhythmi in Libro Theuerdanci difficultius incedant, ea omnia tamen condonanda Tempori, et minime vitio vertenda esse. Si haec ita se habent, o Waldisi, quid opus fuit tua Correctione? Forte putasti tantam instare Linguae nostrae vernaculae in melius Mutationem, cuius Initium tuo Tempore iam factum esset dicis, indeque futurum, ut penitus Pfintzingianum Opus ob dictionem obsoletam a nobis intelligi nequeat? Verum non adeo stupidi sumus Posterri, et uti tua aetatis Homines Ottfridum legere potuerunt, ita nos Pfintzingum et ipsum Ottfridum intelligimus. Imo hariolari potuisses facile tuam quoque Mutationem Correctiōnemque, tuis Amicis forte elegantem atque iucundam visam, nostrae aetati displicitaram esse, uti factum est, adeoque Operam et Oleum te esse perditurum. At enim vero ursit te Necessitas? quam tamen ego nullus adhuc video. Observaveras omnino Errorem Pfintzingii Chronologicum in Annis Mundi statim in initio commissum, verum non animadvertisisti,

Stu-

Studio Pfintzingium, uti Nomina vera, ita Annū verum occultasse. Quām deplorandum in modū itaque integrū pulcherrimum Poēma immutasti et destruxisti! Quanto melius Tempus illud fuisset a te collocatum, si Clavem Pfintzings, et descriptisses, et Editioni tuae adiunxisses, quae ad illustrandum Poēma plus, quam omnes tuae Additiones et Correctio-nes, facit. Annon nosti istam Viam illos ingredi, qui optimos Scriptores e medio sublatos volunt? Certe si uterque Vestrum in infelicia illa mediorum Seculorum Tempora incidisset, iam dudum perisset Pfintzingius. Praeter Waldisium, aliis quispiam obscuris umbratilisque Homo, ne Nomine quidem notus, pari Insania insaustas Manus Libro Theuerdanc admovit, omnesque Versus immutavit et aboluit, substitutis aliis Verbis et Phrasibus, in quibusdam tamen Waldisi vestigia premens, quem corruptum Contextum Matthaeus Schultes recudi curavit.

## XL.

Sed ut denique etiam de Libri Theuerdanc Editionibus disquiramus, statuimus hunc Librum lucem publicam primum aspexisse Norimbergae An. 1517. per Typos Joh. Schoenspergeri, ideoque absolvimus, CL. LAMBECKVM, qui idem tradit, ab ἀπεβλεψίᾳ vito, quo eum insimulavit, CL. IMMAN. WEBERVIS l.c. dum scribit: ἀντίφασις Libri docere, Dedicationem quidem Anno & Loco dictis a Pfintzingio conscriptam, sed Augustae Vindelicorum demum 1519. opus hoc prelo absolu-tum esse. Nam nobis contigit tam felices esse, ut tria vel quatuor antiqua huius Libri Exemplaria, evolvere concessum fuerit, quorum duo Annū Impressionis in fine clavis his verbis indicarunt: Gedruckt in der Kaiserlichen Stat Aug-sburg durch den Eltern Hansen Schoensperger im Jar tausent fünf hundert und im Neunzehenden. Gaetera  
F 2  
vero

vero duo ob deficientem Clavem etiam Annū typographicum non retulerunt. Cognovimus autem ex diligenti horum quatuor Exemplarium inter se instituta collatione , unum Exemplar purissimis Membranis impressum , mancum vero clave , quod nobis exhibuit , Vir de Iuventute optime meritus , SAMVEL FABER , Rector Gymnasii Aegidiani Norimbergae , in multis se distinguere ab illis Exemplaribus , Anno 1619 . Aug. Vindel. iisdem Typis impressis . Nam 1.) in eo in altera primi folii pagina non occurrit Privilegium Maximiliani Typographo datum , quod in Augustanis Exemplaribus statim oculos Lectoris ferit . 2) Respondet quidem Numerus Linearum in secundo folio , tam in membranaceo , quam in chartaceis Libris , in his tamen lineae sunt confertiores quam in illo . Hinc cum chartacei his verbis finiant paginam : **Ewer** Königlich Mayestat werde darauff Ratzung und be- Membranaceus ita eam claudit : **Ewer** Königlich Mayestat werde darauff et reliqua verba rejicit in alteram paginam . 3) Liber membranaceus quaedam recte exhibit , quae in chartaceis mendose conspiciuntur , e. gr. Sect. III. in membranaceo legitur : Auf federen in einem Pet / chartacei vero constanter habent : Auf federen in einem Pt. Item , in membranaceo Sectionis Numerus 48. recte se habet , in chartaceis transpositus 84. apparet . 4) In membranaceo Titulus et Figura Sectioni 63. et 64. accurate respondet , sed in chartaceis Titulos et Figuras harum Sectionum inter se permutas videbis . Quae insignes Discrepaniae omnino nos commonefaciunt membranaceum Librum esse diversae omniumque primae Editionis de An. 1517 . Primae enim Editiones solent plerumque esse castigatores , ob Auctorum ipsorum oculatissimam Curam et Industriam , quam Libris ordinandis et corrigendis adhibere solent , qua destituuntur , cum Lucri causa a Typographis festinata opera recuduntur . Praeterea suppetias nobis in defen-

defendendo LAMBECIO fert, Vir Amplissimus Gottlob  
Krantz / Rector patrii Gymnasii Elisabethani, et caeterarum  
Scholarum Inspector gravissimus, Studiorum meorum Patronus  
omni cultu prosequendus, qui in *Actu Gymnaſtico, de Memorab. Biblioth. Rhedig.* p. 74. introducit Typographum, lau-  
dantem in dicta Bibliotheca extantia *Cesta Maximiliani sub no-*  
*mmine Theuerdanc, a Joh. Schoenſtegero Norimbergae 1517.*  
membranis impressa. In Catalogo Bibliothecae Camerarianae  
nuper in vicino oppido *Christian-Erlangen* distracta p. 13.  
n. 590. allegatur etiam editio huius libri Norimbergensis de  
An. 1517. Cum itaque a nobis evictum sit, primam editionem Libri  
Theuerdanc prodidisse Norimb. 1517. alteram Aug. Vindel.  
1519. per eiusdem Typographi curam, a nobis etiam aliquid  
de *Forma, Typo et Ornato* istarum Editionum est monendum.  
Uterque Liber excusus est *Forma maiori*, vel, ut vulgo di-  
cunt, *in Folio, eoque paulo maiori*, et constat quoad Integritatem  
suam uno Alphabeto et XVI. Literis, connumerata Clave,  
quarum XIX. sunt Quaterniones, et X. Terniones. Quaedam  
Exemplaria purissimis Membranis, quaedam Charta, Candore,  
et Densitate vere Augustea, impressa sunt. Literae sunt ma-  
iusculae et luculentae, penitusque singulares, anteaque in Ty-  
pographicis Officinis non frequentatae, sed potius peculiari  
studio, ad nitorem Libro conciliandum, fabrefactae, ad quarum  
normam cum aliis deinceps similes luculentii Characteres effin-  
gerentur, his illae Nomen dederunt, siquidem Species quaedam  
Literarum in Officinis Typographicis Theuerdanc appellata est. Quodlibet Carminis Distichon Uncinolis est distin-  
ctum, et plures Literae, ubi spatium id permisit, ad maius De-  
cus, Lineis curvis et variis nexibus flexibusque distortis singu-  
lari Artificio ornatae sunt, in quibus spiralibus Ductibus non  
infrequens etiam Variatio et Inaequalitas in membranaceo illo  
Libro animadvertisitur, si cum chartaceis conferatur. Ut ad

Splendorem Operis nihil deesset, et Libros heroicos exacte imitaretur Pfintzingius, cui libet Historiae Carmine expressae addidit figuram, Actiones illas repraesentantem, quas decantat, quorum Numerus est CXVIII. In Rhedigeriano Libro Theuerdansk a manu recentiore quidem adscriptum est, has Figuras ab ipso Maximiliano exsculptas esse, sed Matth. Schultesius, Artis sculptoriae gnatissimus, docet Johannem Scheisselein / Pictorem et Sculptorem Nördlingensem, et exactissimum Alb. Düreri Imitatorem, quem summis elogis extollit IOACH. SANDRART. in der Teutschen Mahler-Academie/ L. II. P. III. in App. p. 373. has Figuras affabre Ligno incidisse. Longe venustiores illae sunt, et magis oblectant oculos Spectatorum, quam rudes illae et horridae, inepta queque Picturae, quas cum taedio et horrore, et in MSStis, et in excusis Libris heroicis vidimus. Amoenissimae vero illae refulgent Auro argentoque incrustatae, et pulcherrimis nitidissimisque Coloribus, in primis pretiosissimo illo coccineo et coeruleo, quos Pictores vocant *Carmin* et *Ultramarin*, illustratae, in quibusdam Exemplaribus membranaceis, qualia possident Bibliothecae, Caesarea Vindobonensis, et Rhedigeriana Vratislavienensis, illustris Familia Pfintzingiana Norimberga, maxime reverendus Gerhardus, Abbas Luccensis, ita, ut spectari gratius et magnificientius nihil queat. Hinc splendidum etiam eiusmodi Exemplar alicubi CC. aureis venditum esse confirmavit, Patronus meus honoratissimus, celeberrimus KRANTZIVS. In his Figuris nihil occurrit, quod explicatione indigeat. Notabile tamen in primis est amiculum illud, quo Fecialis induitus conspicitur, in quo non Insignia Maximiliani, ut alias moris est, unde etiam a Gallis dicitur *cote d'Armes*, depicta sunt, sed Rota, quae corpus constituit in Symbolo heroico illius Imperatoris, quod his Verbis plenius describit FVGGER L. c. p. 1384. Dieses sein zu Gefährlichkeitn gleichsam gewidmetes Leben anzu-

anzudeuten / hatte er ihm zum Sinnbild erwählt ein Rad /  
ausen herum mit Schwertern und Streitkolben bedeckt /  
über welchen ein Reichsapfel / unten aber ein Granatapfel  
schwebete / mit der Überschrift: *Per tot Discrimina.* In ultima figura etiam in Libro Theuerdanc*e* / depingitur Maximilianus insilens Gladii in Rotae formam iacentibus. Caeterum Chartis etiam impressa Exemplariae primae et secundae Editionis, absque coloratis Figuris, perrarae, et inter Cimelia Bibliothecae referenda sunt, praesertim illa integra, et Clave Auctoris non mutilata, quae rarissime adest. Nulla enim alia prostant Exemplaria, quae Textum Poëmatis Pfintzingiani genuinum et incorruptum referant, quam illa. Manuscriptus hic Liber, constans quatuor Voluminibus chartaceis in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi, in qua ex Ambrasiana est repositus, teste LAMBECIO L.c. Tertiam Libri Theuerdanc*e* Editionem adornavit obscurus ille Burcardus Waldissius, sed vituperanda, uti diximus, Interpolatione et Immutatione totius Operis, ut ex eius Pulchritudine, vel nihil, vel parum remanerit. Prima eius Editio nobis ad manus non fuit; sed possidemus iteratam, quae prodiit Francofurti ad Moen. 1589. fol. et a priorum Editionum Splendore, tam ratione Typorum, quam chartae plane defecit. Figure quidem adsunt Scheulinianae, sed quae etiam, tot Exemplaribus adornandis adhibitae, multum lucis amiserunt. Subiuncta est huic Libro breve Germanicum Chronicum, Maximiliani Res gestas enarrans, et Oratio funebris in Maximiliani Honorem a Philippo Melanchthon habita, in vernacula translatata. Dedicatio Waldissii ad Adolphum Wilhelmm von Dornberg / d.i. Abderode An. 1553. scripta est, ex qua conjecto, primum Waldissii Opus eo Anno prodiisse. Prostata praeter hanc alias Editio, quae Lucem vedit, 1596. in 8vo paucissimis, et longe minutioribus, obscurioribusque Figuris referta. Quartam Curam, sed eam in

in quibusdam etiam praeposteram , de Libro Theuerdanc<sup>f</sup> procudendo suscepit Matthaeus Schultes , Sculptor Ulmensis , qui sub prolixissimo Titulo eum Ulmae 1679. evulgavit , in Carminibus etiam plane recedens a Pfintzingianis verbis , et nescio quem obscurum Hominem sectans , qui Waldisianam Interpolationem partim retinuit , partim immutavit , ita tamen , ut nova plane Interpolatio Pfintzingiani Textus eius Poësia dici possit , quae Waldisiana longe sit concisior . Hoc suum Institutum ita in Praefatione declarat : Er habe die alte Reimen mit dieser Zeit üblichen Worten / und zwar nach Anweisung eines vor Jahren in dieser Materia , doch ohne Figuren gedruckten Büchlein verfassen lassen . Qualis vero sit ille Libellus , ex quo hanc suam Editionem expresserit , penitus nos latet . Illud huic Editioni singulare est , quod Pfintzingianas Figuras exhibeat , easque quidem sex aliis additis augeat , quae olim etiam ad operis illustrationem conjectae , sed fortasse ob certas quasdam causas omissae fuerunt , sed in veteribus illis Figuris omnium ultima ipsi deest . Adiectas vero sex novas repertas Figuras explicatione poëtica et historica illustrari curavit . Operi annexa est satis prolixa Vitæ Maximiliani Descriptio Germanica , incerto Auctore consignata . Haec sunt , quae tam de veris , quam spuriis Libri Theuerdanc<sup>f</sup> Editionibus monenda erant .

## XII.

Epilogus,  
sistens Utili-  
tates Libri. Habes itaque B. L. sufficientem , uti speramus , Notitiam rarissimi Libri , ob varias rationes magnopere aestimandi , atque inter Cimelia Germanicae Eruditonis connumerandi . Nam exponit nobis Labores et Pericula Maximiliani , Germaniae Sospitatoris , quorum prorsus hoc Libro deficiente essemus omnium ignarissimi , et comprobat , Providentiam Divinam ma- ximos Principes inter praesentissima Vitæ Discrimina , in sa- lute

Iutem tot Populorum protegentem, magnaue Imperia gubernantem; dum Principes interdum aliis Negotiis distent, Negotia publica non ea Sedulitate et Attentione, qua decet, procurant. Ipse noster Maximilianus Imbecillitatis suae memor, cum Tempore quodam cogitabundus altius Imperii Rebus intenderet, ad Consiliarios suos dixit: *Quis mibi temporem a Risi, Deo tam mirabiliter omnia gubernante, quod utrumque Regnum Ecclesiasticum et Politicum, partim per vercordem et insanum Sacrificulum Iulium II. Papam, partim vero per me, Audaculum Venatorem mirifice regit. At, o Bone Deus, nisi tu melius de Summa Rei propicias, actum est de nostra Gubernatiuncula.* vid. IO. WOLFFIUS, in Lect. memorab. T. II. p. 973. Sistit etiam hic Liber egregium specimen Philosophiae moralis Principibus Iuventutis proponenda, in quo illi Virtutes et Vitia Principis non in Abstracto considerant, sed contemplantur his deditum maximum Principem, ex cuius Factis et Moribus, imitandorum et fugiendorum varia Exempla, alii, et praesertim illi, quorum Indoles a severis Praeceptis abhorret, sumere possunt. Siquidem hic Liber etiam in Obiectamentum, Usum et Institutionem Caroli Regis Hispaniarum ab Auctore fuit conscriptus. Cognoscimus denique ex eo Poëeos Germanicae Incrementa, illudque Studium, quod in ea excolenda summi Viri inter Maiores nostros impenderunt, cum hodie econtra Poëtae Nomen fere, ob tot Bavios Meviosque in convitium abierit. Et in genere affirmandum est, quod ille exhibeat nobilissimum Monumentum Germanicae Linguae purae atque a Contagio peregrinorum Vocabulorum intaminatae. Occurrunt in ea multa Vocabula nunc antiquata, e. gr. *peyten/erarnen/trehne/prothrâne/*&c. quae si excerpere, illisque Glossam addere velimus, uberior adhuc naſceretur nobis scribendi Materia. Ne dicam de peculiari stylo, e. gr. *hochgebohrne Künigin/edle Mayt/*

Mayt / et prorsus singulari Orthographia. Quae omnia, si  
mecum accuratius perpenderas, B. L. non improbabis meam  
Operam, quam in hac Opella ad Notitiam huius Libri Tibi tra-  
dendam consignanda impensimus. Ob oculos enim et mihi  
est in omnibus Actionibus et Studiis meis illud Phaedri sa-  
cientissimum Dictum, Fab. LVI. Nisi utile est, quod facimus,  
multa est Gloria. Caeterum,

Si quid novisti rectius istis  
Candidius imperti: si non his, utere tecum.

## T A N T V M.

---

### C O R O L L A R I A.

#### I.

*Maximilianus I. Imperator in Stylum curialem assunxit Titulum electi Ro-  
manorum Imperatoris, Regis Germaniae, et Archiducis Austriae.*

#### II.

*Silesii Jure optimo se fejanxerunt a Polonia, Poloniisque nullum Jus in eos  
restat, neque illi sunt Juris Slavici, sed Germanici.*

#### III.

*Judei in Republica Christiana sunt tolerandi.*

#### IV.

*Officium Principis est, promovere in Animis Civium verum Cultum di-  
vnum.*

#### V.

*Tutores et Curatores Regum non habent summam Potestatem.*

#### VI.

*Bella Domini mediis Seculis ob Palaestinam Infidelibus eripendam gesta,  
injusta et imprudenter instituta fuerunt.*

#### VII.

*Patriciatus Romani Dignitas collata in Carolum M. involvit supremum  
Dominium in Urbem Roman et Papam.*

S. D. G.

PRAE-

PRAESES  
PRAESTANTISSIMO DOMINO  
AVCTORI RESPONDENTI,  
CONVICTORI SVO  
SVAVISSIMO,

S. P. D.

**S**ilesiam praestantiorum ingeniorum foecundam esse matrem, nullibique fere tam bene institutas scholas et gymnasia florere, quam in eadem regione, qua ea est Evangelicalrum partium, Tuo etiam egregio exemplo, VIR PRAESTANTISSIME, abunde testaris, dum non solum ea praeditus es ingenii bonitate, quae ad quascunque gravissimas scientias, feliciter arripiendas, sufficit, sed etiam eum

G 2 bona-

ARO



bonarum artium apparatus ex gymnasio patrio  
in academias apportasti, quem interdum multi  
veterani, annis pannisque obsiti, ex academiis  
vix secum domum ferunt. Cumulasti has inge-  
nii opes in academiis nocturna diurnaque ope-  
ra, atque copiam doctrinae elegantioris com-  
paratam hoc pereleganti specimine a Te elab-  
orato uberius declarasti, quod omnium applau-  
sum meretur. Gratulandi partes itaque meae  
sunt, fructus gaudii ad honoratissimos Paren-  
tes, et nobilissimam Familiam Tuam pertinent.  
Faxit DEVS, ut imposterum etiam Studiorum  
Tuorum laudatissimorum rationes fortunatae  
sint, omniaque Tibi ex animi sententia eveni-  
ant, ut Parentum, Amicorumque expectatio-  
nem non sustineas modo, sed quam cumulatis-  
sime vincas, et absoluto studiorum academico-  
rum cursu, Henelios, Gryphios, Hoffmannos,  
Lohensteinios, patriae seculoque exoptatissimos  
reddas. Vale. Dab. e museo a. d. xxix. Febr.  
**cic 11 CC XIIII.**

VIRO

VIRO  
NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO  
HENRICO THEOPHILO TITIO,  
AVCTORI  
ERVDITAE HVIVS DISSERTATIONIS  
DIGNISSIMO,  
S. P. D.  
M. IOHANN. CASPAR GOTTSCHALCK.

Quemadmodum primo statim meo ad has  
Musas Noricas accessu, TE FAVTO-  
REM atque CIVEM Aestumatisimum,  
hic offendere, gaudio nimio quanto sum cumu-  
latus: Ita sane non modo quotidiana atque  
erudita tecum habita conversatione, gaudium  
illud justum indies magis magisque crevit at-  
que amplia' um est; sed quoque imprimis in-  
praesentiarum ob egregium plane, solideque  
eruditum tuum cum orbe eruditio communica-  
tum specimen, totus quasi gaudio diffundi vi-  
deor. Ne vero in sinu tantum gaudeam, ta-  
citemque modo tuas mecum egregias animi dotes

admirer, permitte quaeſo, ut gaudium amorem-  
que de TE animo ſemel conceptum, publice quo-  
que coram omnibus demonſtrem, teſtatumque  
faciam. Gratulor idcirco TIBI ex animo DO-  
MINE FAVOR Aestumatiſſime, de eru-  
dito TVO non ſolum manu propria conſcripto  
atque elaborato, ſed et egregie omniumque  
cum applauſus deſenſo ac ventilato ſpecimine,  
quo ipſo profecto Patriae noſtrae dilectae, im-  
primis vero Generoſiſſimo, Maximeque Stre-  
nuo DOMINO PARENTI, dona, quae in  
TE ſint singularia, quamque laudabiliter stu-  
diis in Academia a TE tempus omne impenſum,  
imo quae adhuc insuper a TE iſpis aliquando  
 magna expectanda veniant, ad oculum demon-  
ſtrati. Age igitur VIR Nobiliſſime, FAV-  
TOR Aestumatiſſime, age inquam, utque nul-  
lo etiam momento, in non interrupto Studio-  
rum Tuorum curriculo ulterius cum Deo et die  
progredi, animo firmiter conſtituiſti, ita quo-  
que pari ratione, ſine ulla temporis aut loci ex-  
ceptione, tenuitatem meam TIBI commenda-  
tiffimam ſemper habere, quaeſo ne intermittas.  
Vale. Script Anno M DCC XIV. die xxix. Febr.

Arma

A Rma Virumque gravi cecinit Pfintzingius ore,  
Qui certe ante alios, Divorum Sanguine cretus,  
Aetatis Lubricum, coecæ Ludibria Sortis,  
Invidiamque ipsam superans, fortissimus unus  
Exitit, atque Fidem tandem Tibi, Græcia, fecit,  
Quæ Clavam Alcidæ narras, quæ Thesea magnum  
Jactas, quoque alias Superis longo Ordine jungis.  
Musæ, mihi Caussas memora, quid denique tantos  
Insignem Pietate Virum superare Labores  
Impulerit? tantus ne Animis mortalibus Ardor?  
Terra antiqua fuit, varii tenuere Coloni;  
Occasum versus Regio, Rhenanaque circum  
Ostia, dives Opum, Studiisque asperrina Belli;  
Cum Dux præ reliquis vicinos Agmine rapto  
Terreret Reges Martemque ostenderet Audax.  
Istas Imperio pulcerrima Virgo premebat  
Gentes & patriis late regnabat in Oris.  
Hunc ambire Torum, decantatosque Hymenæos  
Sectari, optatamque Procis (sic Fata ferebant)  
Post varios Casus, post tot Discrimina Rerum,  
Jungere Connubio comes illum Gloria jussit.  
Hæc eadem Lympham Clarii e Fontibus hausit,  
Et Tibi, Pfintzingi, Tibi, præstantissime Vatum,  
Tradidit undantem Pateram, juvitque canentem.  
Hinc adeo viridi redimitus Tempora Lauru  
Grande aliquid sonat, et quotiens Germanus Apollo  
Sacras Vatum animas vocat, indicisque Senatum,  
Quo quondam in Latio, dum Res Romana manebat,  
Ille Pater Rudiis natus Flacco atque Maroni  
Immisitus, sat honorato sedet Ordine Noster.  
Hunc Tua, mi TITI, multum memorande Sodalis,  
In Vitam revocat Pietas, clarumque Volumen

Excus-

Excussis Tenebris in Luce ac Littore ponit.  
Nec male Res cessit : Studium doctique Labores,  
Parvus ubi ingentem Pegnesus dividit Urbem,  
Principibus placuere Viris ; sic Patria Tellus,  
Atque Olavi circum Ripas Viadrumque Budorgis  
Lætis excipiet præclaros Plausibus Ausus.  
Gloria, quæ Vatis Cineres servavit, & illa,  
Quem placido Gressu haud obscure accedere cerne,  
Et Galea & Clypeo insignis Dea , grandia certe  
Præmia Doctrinæ, Tua jam Vestigia servant.

Scrib. gratulabundus

GEORG. CHRISTIANVS. GEBÄVERVS,  
Vratislavienfis.



**A**rmatum Decus? an Studiorum Gloria praestet?  
Nondum composita Lite manet dubium.  
Humanum Ingenium superat, contemnere Mortem  
Ac dura audaci Bella ciere Manu.  
Ast idem similes Animantibus esse videntur,  
Ni se contineat sub ratione Furor.  
Verum Arces Sophiae, tum Rostra ac Culmina Pindi  
Tantum Homini fanae Mentis adire licet.  
Ut taceam Deo eus hinc oriturum. Grandia certe  
Praemia, verum Artis sunt diuturna magis.  
Multa tulit fecitque Heros, qui Maximus olim  
Unus tot Terris praeuiui Austriae.  
Quaeso, quis haec nosset? ni Res Pfizingius istas  
Nobis dulcifono Carmine tradiderit  
Hoc certum est, in utrumque Decus sat fortia Tempus  
Ut tandem penitus destruat, Arma gerit.  
Exemplo hoc uno, quae Vis ea, cuique patebit.  
Vix Vates nostro Tempore nouus erat.  
Ast o felicem Vitam Tibi debet uterque  
Pro tantis Meritis Praemia digna feres.  
Nos Plausus Laudesque decent, quas, *Optime TITI,*  
Mente Tibi merito fundimus ingenua.  
De Te, de tanto Nato, gaudebit abunde  
Et bene sperabit Patria nostra, vale.

*Raptim adjiciebant,  
quo suum  
SVAVISSIMO AMICO  
Affection teſtarentar*

**TOBIAS FERDINANDVS**  
&  
**FRIDERICVS CHRISTIANVS PAVLI,**  
Vratislavienses.

Mein

XXX

XXX

**M**ein Damon dieser Zeit! Du meiner Augen Lust.  
Lass Dir von treuer Hand auch treu Wünsche bringen  
Und Dein beperites Lob in diese Verse zwingen,  
So Deinem Herzengs-Freund zur Zeit nicht unbewußt.  
Dein abgelegter Ruhm / durch den beredten Mund  
Bleibt unverletzt stehen in Stahl und Stein gesetzt  
Und Dein geschriebnes Werck / so Dich zu Ehren setzet  
Wird mit Verwunderung der späthen Nachwelt kund.  
Du warst als Respondent ein kostbares Metall.  
Das / so man es berührt / mit lautem Thon erschallet  
Und auf den Niederrwurff mit Macht zurücke pralleit.  
Du bist dem Echo gleich / so steten Wiederhall  
Auf seinen Anruff giebt. Doch weil ich nicht geschickt  
Dein ungemeines Lob in diesen Reim zu fassen:  
So muß ich allerdings aus meinen Sinnen lassen.  
Nun folgt mein treuer Wunsch: Ach lege recht beglückt  
Die grünen Jahre hin; Es sei zu aller Zeit  
Mein Freund/ mein ander Ich/ der Himmel Dir zur Seiten/  
Er lasse Dich noch oft auf der Catheder streiten/  
Und Phoebi holde Kunst sei Dir zum Dienst bereit.  
Hier hört aus kurzer Zeit mein wenig Wünschen auf.  
Es ist zwar etwas schlecht / doch bey gehäuften Sorgen  
Muß ich die Fertigkeit selbst von der Kürze borgen/  
Drum las ich in der Eil den Geusffern ihren Lauff:  
Der Höchste sei Dein Schutz und festes Friedens-Schild  
Er gebe soviel Glück und Jahre sonder Quähen/  
Als Worte im Gedicht und Syllben sind zu zählen/  
So ist mein treuer Wunsch nach Herzengs Wunsch erfüllt.

Dieses Wenige setzte in Eil  
des Herrn RESPONDENTIS  
erwehlter Opponent  
und ganz ergebener Diener  
bey

Julius Heinrich von Nostitz.





00 A 6375



56.

VDAF





B.I.G.

Q. D. B. V.  
DISQVISITIO  
DE  
INCLYTO LIBRO POETICO

*Heuerdancē /*

QVAM  
PRAESIDE  
IO. DAVIDE KOELERO,  
LOGICES ET POLITICES PROF. PVBL.  
ET VNIVERSITATIS BIBLIOTHECARIO,  
*HOSPITE SVO MAXIMOPERE COLENDO,*  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

H. L. Q. C.

SVBMITIT

AVCTOR RESPONSVRVS

*Heinrich Gottlieb Zib /*

VRATISLAVIENSIS,

AD D. MART. A. O. R. MDCCXIV.

ALTDORFII,  
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.